739
A2600
23

QVOD DEVS T. O. M. FELIX FAVSTVMQVE ESSE IVBEAT!

COMMENTARIOLUM
IN
CL. GALENI LIB. XIII. METH. MED.
DE
RATIONE CVRANDI INFLAMMATIONES

CVM DELINEATIONE NOVAE METHODI GENERALIS, SECVNDVM QVAM OMNIVM AFFECTVVM TAM INTERNORVM QVAM EXTERNORVM CVRATIO FELICITER ABSOLVI POTEST,

MEDICÆ FACVLTATIS IN CELEBERRIMA IVLIA INDVLTV,
PRÆSIDE
AMPLISSIMO CLARISSIMOQVE VIRO,

HERMANNO CONRINGIO,
PHILOS. ET MEDIC. D. AC P. P. INCLYTIQVE COLLEG. MEDICI P. T. DECANO SPECTABILI &c.
Patrono & Promotore ætatem venerando,

PRO LICENTIA
CONSEQVENDI SVMMOS HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA
PVBLICÆ ERVDITORVM VENTILATIONI
Ad prid. Kal. Ian. horis ante & pomeridianis
ſubjiciet

IO. MAVRICIVS REINESIVS,
Salzenſis Saxo,
Phyſicus Aſcanienſium Ordinarius.

HELMESTADII
Excudebat HENNINGUS MULLERUS Acad. Typogr.
CIↃ IↃ C LXII.

42600

IO. MAVRICI REINESI, DISSERTATIONIS INAVGVRALIS

CAPUT I.

ARGUMENTUM.

1. Galeni mores. 2. quid ipſum impulerit ad ſcribendum opus de methodo med. 3. operis iſtius argum. 4. ejuſdem diviſio. 5. cur præ Tumoribus reliquis ab Inflammatione auſpicetur. 6. argumentum lib. XIII. 7. quid promittat commentariolus. 8. quid reſpondendum zoilo. 9. quod Galeni methodus ſit partim Generalis, partim Specialis. 10. noſtra ſententia. 11. quod Indicationes à loco affecto ad Generalos pertineant & in Generali methodo poſſint proponi. 12. qui Autores Generalem methodum meditati fuerint & quid de iis cenſendum. 13. quis ad methodum medendi ſit admittendus.

EGo ab ipſa uſq; adoleſcentia, mirificè ſivè inſpiratus, ſivè furore percitus, ſivè quomodocunq; dixiſſe libet, & vulgi famam contempſi, & veritatis ſcientiæq; ſtudio flagravi, inquit Gal. l. VII. M. M. c. 1. Non igitur *ſtudio popularis auræ, ſed vel amicis gratificandi animo, vel conatus poſterorum promovendi, hoc de methodo opus ſe conſcripſiſſe,* ait l. 1. M. M. c. 1. Et hoc verè præſtitit: nam qua ratione cuilibet ægritudini ſit medendum, & quomodo morbi etiam truculentiſſimi, Indicationum beneficio, l. III. M. M. c. 1. expugnari queant, tanta dexteritate hic docet, ut ſufficienter vel unico hoc ingenij monumento poſteritati ſe commendaverit. Sunt verò XIV. libri, quibus hoc opus abſolvitur, & ita quidem, ut à III. ad VII. Unitatis ſolutæ; à VII. ad XIII. Intemperiei; & inde ad fi-

ad finem uſque Tumorum p. n. explicetur curatio, l. VII. M. M. c. II. l. XIII. & XIV. M. M. c. I. Cùm verò plures Tumorum ſpecies ſint, ab Inflammatione, διὰ τὸ συνεχέστατα γίγνεσθαι, καὶ πυρετούς τε καὶ ἄλλα συμπτώματα ἐργάζεσθαι σφαλερώτατα, initium ſe ducturum l. XIII. M. M. c. I. aſſerit, (nam dixerat in præcedentibus libris de curatione Febrium, cum ergo Febres non rarò Inflammationes excipiant, haſce meritò illis ſubjungendas eſſe duxit,) & l. XIV. demum de Eryſipelate & reliquis Tumoribus agere incipit.

Hinc ergò, & argumentum libri, quem interpretaturus ſum, eluceſcit, & quomodo idipſum pertractaverit Galenus. Illud eſt de Inflammatione, quod apertè fatetur c. I. dum ait: πολλῶν δὲ κατ᾽ εἶδος ὄντων ἐν αὐτοῖς παθῶν, περὶ πρώτης ἐροῦμεν τῆς φλεγμονῆς; & l. XIV. c. I. ubi abſolutum ſermonem περὶ φλεγμονῆς ἐν τῷ πρὸ τούτου βιβλίῳ ſe tradidiſſe dicit. De Inflammatione verò ita agit, ut ferè curandi methodum ſolummodò vel præcipuè tamen, proponat, cùm hoc, τῆς προκειμένης πραγματείας ἴδιον ὂν i. e. *propria propoſiti operis profeſſio* ſit; ut l. XIV. M. M. c. I. loquitur. Quia verò methodus medendi ſecundum indicationes procedit, hæ autem à morbo, illius cauſa, & loco deſumuntur affecto; illam non poſſe ſine prævia naturæ morbi enucleatione, cauſarum enumeratione, locique affecti conſideratione deſcribi, luce meridianâ clarius eſſe puto. Accedit, quod ſummè ineptum ſit, velle mederi, & morbum tamen, quo tenetur patiens, ignorare, vel attingere eum, qui omnium conſenſu eſt deſperatus. Æquè abſurdum eſt, tradere methodum medendi Inflammationi, & præterire ſigna, quibus & cognoſci debet Inflammatio, & diſtingui à morbis alijs, & illius prædici eventus. Inde Galenus præter methodum curandi, quam primariò

tamen

tamen intendit, & Inflammationis naturam, & cauſas, & ſigna, tàm Diagnoſtica quàm Prognoſtica, & Differentias & alia huc pertinentia, in præſenti Libro repetit, ne ad feliciter curandam Inflammationem quicquam deſit.

Quia verò non cuilibet primo ſtatim intuitu ſe oſtendunt illa, utpote nullo ordine diſpoſita; quia parcius de iis dixit Galenus, &, ut quibuſdam videtur, non ſatis accuratè; è contra verò prolixior eſt in non neceſſariis, crambemque bis coctam ad nauſeam uſque apponit; hinc facili conjecturâ aſſequi poterit B. L. futuri Interpretis partes, & defendendo Galenum, &, ſi dignus, refutando, quæ peplis involuta ſunt explicando, quæ abundant abjiciendo, & adjiciendo quæ deficiunt, abſolvi. Interim non eſt quod quis expectet, iis, quæ methodum medendi non immediatè reſpiciunt, certos aſſignari Titulos, & dictum iri de omnibus, quæ forſan dici poſſent: nam utrumque inſtituti ratio, quæ de ſola medendi, maximè Inflammationibus, methodo, non opus integrum, ſed Diſputationem adornat, prohibet.

Eas verò quas ſuprà recenſui partes, pro virili, ſi Deus, de quo nullus dubito, cœptis annuerit, explebo. Ab hoc verò propoſito facilè me dimovere poſſent Ariſtarchi, quibus nihil rectum, quod ab aliis, maximè verò à Juventute proficiſcitur, ſi eorundem voculas tanti æſtimandas eſſe præ ſimplicitate crederem, ut capitis periculum adeundum ſit illi, qui contrà ire fuerit auſus. Non caret vitiis Iuventus, & præcipuè in tenuitatem præceps ruit; ſed & minas non rarò oſtendit, & tenebris, ut cum Poëta loquar, exonerare caput allaborat. Hoſce verò conatus laudibus foveri par eſt, & qui mordaci eos carmine diſtrinxerit, è bonorum numero excluſus eſto. Neque

enim grandioribus ævo ſe mancipavit veritas, neque nivibus ſolùm tegitur Sapientia; ſed Dei donum eſt, & illi tribuitur, qui timet Dominum. Non igitur defuturos confido æquiores Commentarioli mei judices, ſi autoritates Virorum, à quibus fortè diſſentio, me nullatenùs ire deſtructum cognoverint. Nam πάνυ φορτικὸν eſſet, & contra modeſtiam, exiſtimationi eorum detrahere, quos fama eruditionis extulit. Si ab Hippocrate diſſentio, non contemno Hippocratem; ſed aliter ac Hippocrates docuit, ſtatuo, φιλαληθείᾳ ductus. Hoc ignorabit Momus, intelligent verò cordatiores, & ſicubi error me habet, informabunt melius, Diſputationiſque cenſores erunt placidiſſimi.

Ego verò ad Galenum reverſus, de methodo curandi Inflammationes, quam tradit, diſquiram, & quid de ea cenſendum, paucis, ſi Deus voluerit, commemorabo. Nimirum, quâ ratione cuilibet Inflammationi eundum ſit obviam, Generalibus præceptis hic docere Galenum, animus dubitare non poteſt. Hoc enim 1. ex ipſo libri Titulo adparet; nam, cùm plures ſpecie affectiones in his ſint, περὶ πρώτης ἐροῦμεν τῆς φλεγμονῆς inquit c. I. Nominat ergò in genere Phlegmonem, & per conſequens Generalem methodum eſſe oportet, quam hic deſcribit Galenus. 2. Idem colligitur ex cauſis quas allegat, non certæ cujuſdam φλεγμονῆς, ſed omnis Inflammationis: δέδεικται γὰρ πᾶσα φλεγμονὴ δι' ἐπιρροὴν αἵματος γιγνομένη c. II. & γένεσις κοινὴ πάσαις ταῖς φλεγμοναῖς ἐξ αἵματος ἐπιῤῥοῆς ἐστὶ πλείονος ἢ ὅσου δεῖται τὸ μέρος c. III. Cujus ergò Inflammationis cauſas tradit Galenus, illius etiam curationem deſcribit: At omnis in genere Inflammationis cauſas tradit, E. & omnis in genere Inflammationis curationem deſcribit:

deſcribit: & hinc methodus iſta non poteſt eſſe ſpecialis. Quod 3. ipſemet fatetur, dum (1) κοινῶς ἁπασῶν (ſc. Inflammationum) σκοπὸν τὴν κένωσιν, ſeu, *communem omnium Phlegmonarum curationis indicationem* eſſe *vacuationem* docet c. VI. Cujus verò morbi indicationes tradit, illius etiam medendi methodum proponit: Sed in genere omnium Inflammationum indicationem tradit, E. & omnium Inflammationum methodum proponit. 2. in c. X. ab univerſalibus ad particularia ſe progreſſurum eſſe dicit. Ergò de generali methodo curandi Phlegmonem, ipſum locutum eſſe hactenus, nemo in dubium vocabit.

Quia verò ab hoc ipſo capite ad finem uſque de particularibus loquitur Inflammationibus, Generali methodo illum non fuiſſe contentum, adparet, cum præſertim non ſatis eſſe dicat, αὐτὰ μόνον γινώσκειν τὰ καθόλου, χωρὶς τοῦ γεγυμνάσθαι περὶ τὰ κατὰ μέρος c. X. & hinc communem omnis Φλεγμονῆς indicationem, haut quaquam ſimiliter in qualibet parte adminiſtrari c. XX. profitetur. Adeoque fatetur Galenus, poſſe quidem de Inflammatione in genere dici, ita ut illius deſcribatur curatio, ſed talis tamen, quæ inſufficiens ſit futura, ſi ad particulares Inflammationes v. g. Iecoris, oculorum &c. fuerit deventum. Nam ſecandam eſſe venam, univerſalis de Inflammationibus doctrina inculcat: τὸ δ᾽ ἤτοι τὴν ἔνδον ἢ τὴν μέσην, ἢ τὴν ὠμιαίαν φλέβα τέμνειν, ἢ τὴν παρὰ τὸ σφυρὸν, ἢ τὴν ἐν ἰγνύϊ, παρὰ τοῦ πεπονθότος μορίου τὴν ἔνδειξιν ἔχει h. e. *illud vero, internane an media, an humeralis vena ſecanda, an ea quæ juxta malleolum eſt, an quæ in poplite, id verò ex laborante particula indicatur*, inquit c. XI. atque ita ex particulari Phlegmone hæc venarum electio petenda erit. Quod autem de V. S. dictum, idem in alijs quoque Inflammationum remedijs lo-

dijs locum habet, utpote quæ dextrè applicari nequeunt, ſi neglectis particularibus univerſali illi methodo inhæreamus unicè. Hæc enim refrigerandum ſuadet c. VIII. ſed quâ ratione, an ab intra an extra, non explicat: neq; tamen indifferenter ejuſmodi refrigerantia adhibere licet. nam ἐπὶ τῶν κατὰ τὸ κῶλον μορίων, ἀρκεῖ καὶ σπόγγον ἐπιθεῖναι βρέξαντας ἤτοι γε ὕδατι ψυχρῷ μικρὸν ὄξους μιγνῦντας, ἢ ὕδατι μόνῳ. καθάπερ γε καὶ οἴνῳ τινὶ τῶν αὐστηρῶν. ἥπατος δ' ἀρξαμένου φλεγμαίνειν, οὐδεὶς ἂν χρήσεται τούτων οὐδενὶ νοῦν ἔχων ἄνθρωπος. ἀλλ' οὐδ' εἰ μήλινον ἐπιβρέξαις, ἢ μύρσινον, ἢ μαστίχινον, ἢ νάρδινον, ἢ σχίνιον, ἤ τι τῶν στυφόντων ἐλαίων ἢ καὶ τῶν ἄλλων, ἐναφεψήσας ἀψίνθιον, οὐδὲ τούτων οὐδὲν ἁρμόττει ψυχρόν. ὥσπερ οὐδὲ κατάπλασμα ψυχρὸν οὐδέν i. e. *in particulis quæ circa artus ſunt, ſat fuerit etiam ſpongiam, vel ex frigida aqua, cui paululum aceti ſit immiſtum, vel aqua ſola madente inponere, ſicut etiam ex vino aliquo auſtero. In jecinore verò ſi Phlegmone laborare cœpit, nemo compos rationis his utetur, imò nec ſi melino infundas, aut myrteo aut maſtichino aut nardino: aut lentiſcino aut aliquo oleo, quod adſtringat, aut etiam alio quopiam cui abſinthium ſit incoctum: ne horum quidem ullum conveniet frigidum, ſicuti nec cataplaſma frigidum*, inquit Gal. c. XIII. Et ſic particulari Inflammationi, particularem quoque methodum deberi, & illos, qui hoc ſolùm ſatis eſſe putant, ὅτι κενωτέον ἐστὶν ἐξευρεῖν, ijs, qui τὴν ἀμέθοδον αἵρεσιν ſequuntur, accenſendos eſſe concludit c. XI.

Verùm, ſi hanc Galeni Diſputationem accuratiùs ſcrutemur, facilè, quid eum commoverit, deprehendimus, ut negaret ex Generali methodo quamlibet Inflammationem curari poſſe. Nimirum à generalibus Indicationibus excludit illas, quæ ſumuntur à locis affectis. Hoc ex c. XI. apparet, ubi Amethodicis, quibus generalis indicatio

indicatio nimirum vacuandum eſſe ſufficit, nullam de laborantium locorum differentia haberi rationem, ait, & c.xv ad communem Phlegmones curationem, maximam ex particulis ipſis accedere differentiam proclamat. Hac ergò ratione, ambabus manibus largior, Generali methodo, quæ à morbo ſolùm & ejus cauſis indicationes deſumit, multum deeſſe, ut cujuslibet particularis φλεγμονῆς curatio inde hauriri poſſet. Imò Galeno lubentiſſimè concedo, infelices fore Generalis methodi ſectatores, quia utique futurum eſſet, ut vel in jecoris inflammatione purgantia offerrent, ad imitationem curæ oculorum inflammatorum, qui ſola purgatione per alvum uno die interdum ſanantur, ſicuti c. xi. habet, vel in oculorum phlegmone ab ijs abſtinerent.

Sed quod Galenus hîc fecit, approbari non fortaſſe debet, ab ijs, qui Generalem methodum meditantur. Cur enim indicationes, quas locus affectus ſuppeditat, à Generalibus ſint penitus excludendæ, nulla adparet ratio. Non quidem adeò generales ſunt ac illa: *in Inflammatione eſt evacuandum*; eo ipſo tamen generalem naturam non exuunt, ſed ſunt & manent generales, quia non de certo partis laborantis, à qua ſumuntur, affectu loquuntur, ſed indifferenter ſe habent ad quoslibet illius partis morbos. V.g. Pulmones indicant Becchica: hæc indicatio eſt à loco affecto deſumpta; & tamen generalis eſt, quia locum habet in omnibus pulmonum affectibus, quorum cauſa educenda eſt, niſi à contraindicationibus quædam adſit. His ita poſitis, dico: Methodus Generalis vel excludit indicationes à locis affectis, vel includit: ſi excludit, loquitur de cura Inflammationum quatenus præſcindunt à locis affectis, dum non conſideratur,

utrum

utrum cerebri vel jecoris ſit φλεγμονὴ; & hac ratione, rectè dixit Galenus non ſatis eſſe ipſa tantùm univerſalia noviſſe, niſi quis etiam in particularibus ſe exerceat c. x. ſi verò includit; ſufficere illam ad cujuslibet Inflammationis curationem affirmare non erubeſco.

Hinc ergò ſatis apparet, fruſtrà eſſe quotquot de Inflammatione cerebri, ventriculi, jecoris, oculorum, inteſtinorum &c. peculiarem medendi methodum conſcribunt, cùm ex Generali quadam, omnium curatio feliciter abſolvi poſſit. Quod autem de Inflammationibus hic dico, idem extendere latius, ac cuilibet applicare affectui, nullus dubito. Et pridem extiterunt qui tritam vulgatamque curationem morborum, quæ per ſingulas partes traditur, quod idem ad nauſeam uſque repetatur, approbare noluerunt: quos inter ſunt Comes Montanus, Franciſcus Friſimelica, Joh. Paulus Pernumia & Gothofr. Steehgius. Quia verò Montanus talem methodum ſolùm optavit; Friſimelica autem morte præventus, ejuſmodi opus aggredi non potuit; Pernumiæ methodus non ſatis generalis & compendioſa eſt; cùm integrum librum de cauſæ antecedentis, & alium de cauſæ continentis, aliumque de ſymptomatum curatione conſcripſerit; Steehgius verò ſatis impertinenter, ut Cl. Sennertus in Meth. diſc. Medic. p. 10. & 11. oſtendit, ſymptomata ad morborum curationes refert, & peculiariter de curatione Intemperiei calidæ, peculiariter de frigidæ &c. per omnes corporis partes loquitur, neminem ex nominatis Autoribus, Methodum perfectam Generalem, cujus beneficiô omnes affectus curari queant, tradidiſſe clariſſimum eſt.

Talem verò σὺν Θεῷ impræſentiarum deſcribere ſedet

ſedet ſententia, ſi, quid ſperandum de ea, & quouſque ſe extenſura ſit, antè fuerit explicatum. Sicut igitur de Methodo medendi in genere verum eſt, illam nihil aliud eſſe, quàm artem, quâ per indicationes auxilia inveniuntur, & certo ordine diſponuntur, ut labefactata hominis ſanitas inſtauretur; ita quoque MEA, & per indicationes invenire remedia, & certo ordine adhibere docebit, & præterea nihil. Nam quod ad modum præparandi medicamenta & manuales operationes attinet, ea velim ex *φαρμακευτικῇ* & *χειρουργικῇ* nota eſſe, antequàm medendi methodum quis tangat; ſicuti nec illum admitto, qui reliquas Medicinæ partes, oculo tantum fugitivo perluſtravit: quia illotis manibus ad hanc artem accedere non decet. Sed pleniorem hujus Methodi delineationem, non verò enucleationem plenariam, quam peculiari tractatulo, ſi Deus vitam mihi vireſque conceſſerit, reſervo, ſubſequens caput exhibebit.

CAPUT II.

ARGUMENTUM.

1. *Symptomata non pertinent ad method. med.* 2. *quomodo ἀνορεξία ſit tollenda.* 3. *delineatio methodi generalis.* 4. *Indicationum diviſio.* 5. *Tabula Indicationum curatoriarum à morbo deſumptarum.* 6. *Indicatio ſterilis.* 7. *Tumor ventris eſt Indicans inutile.* 8. *Tabula Indicationum à cauſa morbi.* 9. *Pituita indicat ſudorifera.* 10. *catalogus cauſarum morbificarum.* 11. *Externæ cauſæ non indicant.* 12. *Externæ cauſæ ſunt ſigna.* 13. *Aër indicat juxta Gal.* 14. *conciliatio Gal.* 15. *quomodo cauſæ externæ indicent.* 16. *Tabula Indicationum à loco affecto.* 17. *Indicationes præſervatoriæ.* 18. *vitales.* 19. *Symptomata urgentia.* 20. *de contraindicationibus.* 21. *quid per eas intelligatur.* 22. *veſica eſt contraindicans repellentium.* 23. *de contraindicationibus ſudoriferorum.* 24. *ſudorifera non debilitant.* 25. *ſudorifera conveniunt in bilioſo temperamento & in ictero flavo juxta*

Avicenn. 26. interdum in ἀρχῇ conveniunt. 27. quibus competant contraindicationes. 28. contraindicationum tabula. 29. Regularum diviſio & utilitas.

ANtequam verò novæ methodi delineationem offeram, de ſymptomatibus monendum eſſe duco; ea, niſi urgeant, à methodo medendi penitùs iri excluſum. Ratio non eſt quod anxiè quæratur, ſiquidem *omnis medendi methodus per indicationes fit*, teſte Gal. l. 11. M. M. c. vii. Quicquid ergò non indicat, illud nullam habet methodum: at ſymptomata non indicant, quod Gal. l. xii. M. M. c. 1. confirmat, dicens: *nullum ſymptoma quà ſymptoma eſt, nec curationis rationem indicat, nec primum immutat; utpote cum affectu unde naſcitur* (intellige proximè) *unà ceſſans*. Ergò etiam ſymptomata nullam habent methodum, ſed curantur curatis morbis, & ablatis cauſis, quia *ſequuntur velut umbra*, Gal. l. de differ. ſympt. c. 1. Quemadmodum ergò umbra evaneſcit ſublato corpore; ita & ſymptoma evaneſcit, ſublatô affectu quem inſequitur. Si igitur homo de ἀνορεξίᾳ conqueritur, ipſam ἀνορεξίαν non attendo, propterea quia ſymptoma eſt, quod non debet curari; ſed inquiro tantùm in morbum, quem iſtud ſymptoma ſequitur; ſi ergò intemperiem ventriculi frigidam cum materia illum eſſe deprehendo, hanc curo ex methodo generali; ſi verò ſymptoma cauſæ ſit, hanc tantummodò ex eadem methodo aufero.

Cujus delineatio talis eſt. Nimirum abſolvitur tribus ſectionibus; quarum prima Indicationes proponit; altera, Contraindicationes; & tertia Regulas. Indicationes, vel curatoriæ ſunt vel præſervatoriæ vel vitales vel ſymptomata urgentia. Curatoriæ ſumuntur primò à morbis, quorum cum Indicationibus tabula hæc eſt.

- 1. Intemperies, indicat alterantia contraria.
- 2. Totius ſubſtantiæ — ſui ablationem plærumque per medicamenta totâ ſubſtantiâ agentia.
- 3. Figuræ — reſtitutionem per
  - διάπλασιν.
  - ἐπίθεσιν.
- 4. Meatus
  - 1. anguſt. — apertionem.
  - 2. dilatat.
    - 1. ἀναστόμωσις — adſtringentia.
    - 2. διαπήδησις — denſantia & incraſſantia.
- 5. Numerus
  - 1. abundans — ſui ablationem.
  - 2. deficiens — ſui reſtitutionem.
- 6. Magnitudo
  - 1. aucta — diminutionem.
  - 2. diminuta — auctionem.
- 7. Superficies morboſa — ſui ablationem per contrarium.
- 8. Situs —
  - 1. repoſitionem
  - 2. retentionem

  per
  - medicamenta adſtringentia.
  - vincula.
- 9. Connexio — ſeparationem per
  - 1. φαρμακείαν cum cauſticis & ſepticis.
  - 2. χειρουργίαν cum ferro, ſetâ equinâ &c.
- 10. Soluta unitas — conjunctionem, quæ eſt vel
  - 1. naturalis, & fit per
    - 1. carnem unde —
      - 1. ſarcotica.
      - 2. glutinantia.
      - 3. cicatrizantia.
    - 2. callum, cujus generatio promovenda.
  - 2. artificialis per emplaſtra, filum &c.

Ex hiſce autem indicationibus nonnullæ ſteriles ſunt, ſeu inutiles, uti à Sennerto appellantur. Sic obſtructio indicat deobſtruentia; ſed non poſſunt reperiri talia medicamenta, quæ ſuum effectum immediatè & per ſe præſtent. Huc etiam refero magnitudinem auctam, quæ interdum indicans inutile eſt, v.g. in hydrope: nam iſte ventris tumor indicat ſui diminutionem, ſed non proſtant medicamenta immediatè & primò iſtum tumorem minuentia, quia minuitur tumor ablatâ causâ: quæ ergò tumorem abdominis minuunt, mediatè id præſtant, quatenùs cauſam tumoris continentem abducunt. Petuntur etiam Indicationes curatoriæ à cauſa proxima; ſicuti præſervatoriæ à cauſis remotis. Cauſarum verò tabulam ita delineavi.

1. Sanguis, ratione
- 1. Copiæ, è fonte
  - 1. Chirurgico indicat
    - 1. V.S. quæ Arteriotomiam quoque ſub ſe complectitur.
    - 2. Hirudines.
    - 3. Cucurbitulas cum Scarificatione.
    - 4. Scarificationem ſimplicem.
    - 5. Frictiones.
  - 2. Pharmaceutico, qui primò poni debuiſſet,
    - 1. medicamenta exſiccantia.
    - 2. menſes & hæmorrhoides excitantia.
  - 3. Diætetico
    - 1. inediam.
    - 2. cibos & potum exſiccantes.
    - 3. cibos non adeò copioſi nutrimenti.
    - 4. motum corporis.
    - 5. balnea.

2. qualitatis — alterantia contraria.
3. motus
   1. nimij & perverſi
      1. Revellentia cum & ſine humoris effuſione.
      2. Repellentia.
      3. Derivantia.
      4. Intercipientia.
      5. motum retardantia,
         1. tenuitatem ipſi adimendo.
         2. nimiam caliditatem temperando.
         3. vias conſtringendo.
   2. nullius — cauſas motum inhibentes per contraria auferendas indicat.
4. loci, in quo p. n. continetur infixus, eumque in tumorem attollit
   1. inſenſibiliter diſcutientia.
   2. cucurbitulas ſcarificatas.
   3. maturantia & ſuppurantia.
   4. apoſtema rumpentia.

II. Pituita, ratione
1. copiæ indicat
   1. Cathartica phlegmagoga.
   2. Sudorifera.
2. qualitatis
   primæ ſ. frigiditatis — calida.
   ſecundæ ſ. craſſitiei — attenuantia.
3. motus
   1. Revellentia.
   2. Derivantia.
   3. Intercipientia.
4. loci, in quo p. n. continetur

- 1. Subtractionem per
  - 1. Vomitoria.
  - 2. Diuretica.
  - 3. Errhina.
  - 4. Apophlegmatiſmos.
  - 5. Becchica.
  - 6. Clyſteres.
  - 7. Cucurbitulas.
  - 8. Fontanellas.
  - 9. Veſicatoria &c. & ſi partem in Tumorem elevet indicat
- 2. Emollientia & diſcutientia.
- 3. Sectionem & partis apertionem.

Hæc vero legens quis miraretur, ſudorifera conſtitui à me indicata copiâ peccantis pituitæ, cùm indicentur 1. à locô potius affecto v.g. habitu corporis; 2. ab ijs humoribus qui tenues ſunt, non verò à pituita. Sed quod ad prius attinet, ſudorifera ſunt evacuantia univerſalia, & expellunt è corpore humores quoslibet maſſæ ſanguineæ admixtos, modò ſequaces ſint. Quando ergò pituita ratione copiæ peccat, & maſſæ ſanguineæ eſt admixta, non video quid obſtet, quo minùs evacuari poſſit per medicamenta ſanguineam maſſam depurantia; quamvis de vitrea & glaciali id intelligi nolim. Tenuibus verò humoribus hydrotica eſſe dicata, non eo inficias, & hinc rectè ſtatuo, pituitam antè eſſe attenuandam & incidendam quàm ejiciatur per ſudorifera.

Quô ergò à ſanguine & pituita, planè ad eum modum à reliquis morborum cauſis indicationes deſumuntur. Illæ verò ſi recenſendæ, ſunt: Bilis, Melancholia, Serum, Flatus, Vapor, Semen, Venenum, Calculi, Vermes,

mes, Caro, Callus & aliæ partes ſuperfluæ, quarum tamen indicationes prolixius exponere præſentis inſtituti ratio non concedit.

Externæ verò cauſæ, (quò, melioris doctrinæ ergò, & illas quæ ad humorum proventus faciunt, refero,) tales Indicationes nobis non ſuppeditant; quia *dicere Indicationem curationis ab externa cauſa ſumi, omninò eſt abſurdum*, inquit Gal. l. IV. M. M. c. III. Quod utique approbo, ſiquidem Indicans ſit permanens aliquod in corpore; cauſæ autem externæ extra corpus ſunt: adeoque tantùm *ad noſcendos affectus aliqua externarum cauſarum conferunt* l. IV. M. M. c. III. Exemplo res fiet manifeſtior. Sit v.g. aliquis ictus à Scorpione. Indicatio curationis deſumitur à veneno, quod ictu homini fuit communicatum; illud venenum, cum frigidum ſit, requirit medicamenta calida, quibus etiam, maximè ſi alexipharmaca admiſceantur, non omiſſis tamen ad veneni expulſionem faciendis alijs, perficitur curatio. A cauſa verò externa, nimirum à Scorpione, nulla ſumitur Indicatio; quia Indicans debet eſſe in corpore permanens, ſed Scorpio non ampliùs eſt in corpore, Ergo etiam non indicat neque curationem neq; præſervationem: non illam; *quia rei præſentis eſt curatio* l. c. neque hanc; *quia providentia eſt ejus quod futurum eſt*, ibid. At Scorpio nec præſens eſt nec futurus eſt, ſed fuit.

Interim tamen cauſa iſta externa, nimirum Scorpius, in veneni hujus notitiam deducere Medicum poteſt: nam etſi Scorpionis veneni naturam calefacientia requirere quis ſciat, fruſtrà tamen hæc noverit, niſi tali venenô corpus, ὃ ἐπιχειρεῖ ἰᾶσθαι, eſſe infectum, ad unguem tenuerit. Id verò ex cauſa antecedente externa, nimirum ictu Scorpionis, diſci poteſt. Et hoc docet Gal. dum l. c. in

hæc

hæc verba erumpit: *Non ſanè ad curationis indicationem conducit externa cauſa cognita, ſed ad præſentis affectus cognitionem. Nam pone ſciam Scorpionis venenum frigida vi eſſe, ſumamq́; veluti à frigido remedij Indicationem: nullo tamen ſigno cognoſcam, talem eſſe in corpore affectum: manifeſtum eſt, ſi Scorpium percuſſiſſe didicero, quod calfacere tùm corpus totum, tum punctam ab eo particulam conabor, nulla amplius expectata experientia, ſed ab ipſa rei natura indicatione ſumpta.* Meritò itaque dicit l.c. *Ubi præſentis affectus nihil latet, nulla jam externæ cauſæ eſt utilitas,* & paulò poſt: *Indicationem curationis ab externa cauſa ſumi, omninò eſt abſurdum.*

Sed quomodo Galenus ſibi ipſi conſtat? Nam l. XI. M. M. c. I. *ambientem quoq; nos aërem unam efficere Indicationem* ſcribit, & l. IX. c. XIV. *Medicatoriæ Indicationes à morbo ipſo ſumuntur, à corporis temperamento, & tertiò ambiente nos aëre:* & hinc, qualis aër hecticis conveniat, deſcribit l. X. c. VIII. &, *ſedulò igitur agendum eſt* (ſcil. in morbis) *ut ambientem, quoad fieri poteſt, qualem eſſe expedit, præpares*, l. IX. c. XIV. Per ambientem verò nihil aliud quàm aërem intelligit, ſiquidem *ambientis proprium pro naturâ ſuâ nomen eſt aër*, l. XI. c. I. Si ergò aër indicat, ſequitur quod & cauſſa externa indicet, quia aër eſt cauſſa externa. Et quod de aëre dixi, idem & de cibo & potu, ſomno &c. paſſim docet, quod neminem, niſi in Galeno planè hoſpes ſit, latere poteſt.

Nihilo tamen ſecius Galenum cum Galeno poſſe conciliari intrepidè affirmo. Quando enim optimus Autor à cauſis externis Indicationes deſumi negat, hâc ratione fretus id facit, quod iſtæ cauſæ nec ſint nec futuræ videantur, ut ex l. IV. M. M. c. III. colligimus. Quia verò cauſæ externæ non rarò in corpus ſe inſinuant, v. g. ſagittæ,

ſagittæ, globuli &c. vel illud continuò ambiunt, ut aër, & quam habent qualitatem ei imprimunt; videntur quodammodò propriam naturam exuere, & fieri internæ, atque hinc verè indicant, quia præſentes ſunt & agunt. Atque hoc vult Galenus, dum de cauſa externa, quod non indicet, loquens, ſupervacuum eſſe dicit cauſam inquirere *niſi jam etiam faciat*, l. IV. M.M. c. III. Quando igitur cauſæ externæ non amplius faciunt, non indicant; quando autem jam faciunt, utique pro Indicantibus ſunt habendæ, quia ſunt tanquam internæ: *nam operantur penetratione illius, quod ex eis eſt ſubtile in poris, propter virtutem profundantem penetrantem, quæ eſt in ipſis*, ut loquitur Avicenna (alias Aben-ſina) l. I. fen II. d. II. c. XIIX. Hinc ego motus cauſas externas, quatenus p. n. in corpus noſtrum agunt, ſivè alterando id ipſum, ſivè humores vitioſos movendo aut producendo, ſivè ratione alia, non minus ac internas ſui remotionem indicare ſtatuo. Atque ita alterum Indicans, videlicet morborum cauſas, quoque abſolvimus.

Tandem à loco affecto Curatoriæ Indicationes quoque petuntur, ut ex ſubjecta delineatione adparet.

- 1. Caput ſeu cerebrum indicat
    - 1. Ptarmica.
    - 2. Apophlegmatizantia.
    - 3. Specifica cephalica.
    - 4. Alterantia temperata. &c.
- 2. Oculi
    - 1. ophthalmica.
    - 2. ſubtilia.
    - 3. acrimoniæ expertia.
    - 4. levia. &c.
- 3. Pulmones

1. Thoracica appropriata.
2. Bechica. &c.

4. Hepar
1. Hepatica.
2. adſtringentia.
3. Cathartica.
4. Diuretica. &c.

5. Teſtes indicant
1. ſui ſuſpenſionem ne fluxui adeò ſint obnoxii. &c.

Et ſic per omnes totius corporis noſtri partes, quæ non leve momentum ad morborum curationem afferunt, procedit hæc methodus.

Præſervatorias Jndicationes non eſt quod prolixè deſcribam, quia à cauſis morborum antecedentibus & procatarcticis, quarum tabulam, quod ad illas attinet, ſuprà dedi, petuntur.

Vitalem ſuppeditant vires, quæ ſui conſervationem vel reſtaurationem per cordialia, ſicuti ſymptomata urgentia ſui ablationem, poſtulant. Sunt verò præcipua ſymptomata

1. Dolor — anodyna.
2. Agrypnia — hypnotica.
3. Lipothymia — cordialia.
4. Hæmorrhagia — ſanguinē ſiſtentia & adſtringentia.
5. Sitis — humectantia. &c.

Et hactenus ſectio prima de Indicationibus.

Altera Contraindicationes proponit: de quibus hoc monendum, quod non adeò rigoroſè ſumantur, ut Indicationes planè deſtruant; ſed paulò laxius, ita ut illas interdum ſaltem modificent. Sic quando Inflammatio veſicam occupavit, ipſe ſanguis exæſtuans, qui jam affluit repellentia indicat: quia verò locus affectus eſt veſica, quæ non diu tolerat repellentia; hinc fit, ut quidem admittantur, ſed hac conditione, ne juſto diutius uſurpentur. Et hoc mo-

modò veſicam contraindicans nomino ipſorum repellentium. Liceat enim docendi gratia vocabulo in hoc ſenſu uti.

Dum verò de contra indicationibus loquor, in mentem mihi venit errorum, quibus ſe nonnulli induunt circa hanc doctrinam. De ſudoriferis ajunt, illa prohiberi à virtute debili, à temperamento bilioſo, & morbi principiô. Sed nimis ſuperſtitioſi ſunt, qui ita ſtatuunt, & contraindicationes cumulant præter neceſſitatem.

Nam quod prius concernit, tantum abeſt ut virtus debilitetur à ſudoriferis, ut potius admodum hinc corroboretur, ſi illa fuerint, ſicuti ſemper eſſe debent, alexipharmaca, & ſpecificâ proprietate reſpexerint cor. Quando igitur movendi ſudores, non ad radices petroſelini, lupuli, fol. capill. ♀, & ſimilia è vulgaribus, ſed Theriacam, Mithradatium, ♉ diaphor. bezoard. minerale, ſpir. flor. ſamb. mixtur. ſimpl. aq. galeg. ſcorzoner. & alia cordi inſimul dicata, accedere decet: quæ utrum vires naturæ proſternant vel proſtratas erigant, judicent cordatiores.

Temperamentum verò bilioſum haut admittere ſudorifera, nondum probatum. Sudorifera indicantur à materia tenui, quæ facilè à centro ad circumferentiam propellitur. Sed talis eſt bilis; unde potius ad ſuperiora ſolet evadere, quàm deſcendere ad inferiora, teſte Thriver. com. in l. VI. aph. XXI. Quod Hippocratem commovit, ut æſtivô tempore τὰς ἄνω purgare præciperet l. IV. aph. IV. quia, ut Galenus habet, ὁ πλεονάζων χυμὸς ἡ ξανθὴ χολή ἐστι: & *amaræ bilis ſuccus inviſibiliter exhalat*, teſte Gal. l. XIV. M. M. c. I. quod fit ob ipſius ſubtilitatem. Ergo etiam bilis facilè per ſudorifera poteſt expurgari. Et hinc miror Practicorum pleroſque in curando ictero ſudoriferorum nullam facere mentionem; quod tamen maximè

fecit Avicenna: nam *medicinæ quæ icterum ex cute ex-trahunt, quandoque cum ſolutione ventris aut provocatione* (per quam urinam procul dubio intelligit) *aut cum ſudore id præſtant, & melius ut ſit ſuper exercitium & laborem & ſitim & propriè quando eſt faciens ſudare potus & ſimiliter poſt balneum*, inquit l. III. fen. XV. tr. I. c. VI. & paulo poſt: *Dicitur quod patientes icteritiam juventur per conſiderationem in rebus citrinis. Illud enim movet naturam ad expellendum materiam citrinam totam ad cutem.* Neque bilioſi humoris caliditas ſudorifera impedire poteſt, 1. quia animus non eſt alterare per ſudorifera, 2. quia evacuando bilem, quæ caliditatem fovet, corpus ab iſtâ intemperie potius liberabunt.

Quod tandem ad morbi principium attinet, nec illud adeò rigoroſè obſervandum credo: *nunquam in ἀρχῇ τῶν νοσημάτων hydrotica exhibere eſſe permiſſum*: quia non raro febrium γένεσιν impediri exhibitis ſtatim ſudoriferis, experientia totâ die teſtatur: & crudi humores, qui alicubi locorum conſiſtunt, non ipſimet ad habitum corporis per hydrotica abripiuntur, quia non ſunt ſequaces: ſed vapores potiùs quos continuò emittunt, hac ratione diſcutiuntur.

Sed plura ſunt, quæ de contraindicationum doctrina dici poſſent, niſi pagellarum habendus eſſet reſpectus. Hâc vice ergò aliquali earum deſcriptione erimus contenti. Duo autem ſunt quibus contraindicationes præcipuè competunt; videlicet remedia, & medicamentorum formulæ. Si plura ſe nobis offerent in poſterum, hunc numerum augebimus. Remedia vel evacuantia ſunt, vel alterantia, vel motum humorum corrigentia. Evacuantia ſunt vel univerſalia vel particularia. Illorum catalogus cum contraindicationibus talis eſt.

Pur-

- I. Purgantia: quorum Contraind.
  - 1. Vires debiles.
  - 2. Temperamentum calidum & ſiccum.
  - 3. nimia corporis extenuatio vel obeſitas.
  - 4. ætas tenerrima.
  - 5. geſtatio fœtus in utero poſt VI. menſem, niſi materia turgeat.
  - 6. humorum cruditas.
  - 7. Inteſtinorum affectus. &c.
- II. Sudorifera: quorum contraind.
  - 1. nimia corporis extenuatio.
  - 2. materia multa & craſſa, niſi attenuetur.
  - 3. cibus nondum concoctus.
  - 4. Paroxyſmi invaſio. &c.
- III. Inedia
- IV. Venæſectio
  - 1. vires debiles, non tamen ex plethora.
  - 2. Pueritia & ultima ſenectus, ubi tamen vires conſiderandæ.
  - 1. Plethora particularis.
  - 2. Plethora totius ſubito tollenda.
  - 3. nimia gracilitas.
  - 4. vires debiles.
  - 5. morſus in ore ventriculi. &c.
  - 6. geſtatio fœtus in utero.
  - 7. propenſio ad lipothymiam. &c.

Particularia cum Contraindicationibus ita depingo.

- I. Vomitoria
  - 1. vires proſtratæ.
  - 2. corpus obeſum.
  - 3. difficultas ad vomitum.
  - 4. ventriculus imbecillis. &c.
- II. Diuretica
  - 1. copia humorum craſſorũ circa hepar.
  - 2. affectus calidi & ſicci.
  - 3. Exulceratio renum vel veſicæ. &c.
- III. Ptarmica
- IV. Apophlegmatiſmi

 cor-

- 1. corpus cacochymicum.
- 2. propenſio ad vertiginē.
- 3. nares vel oculi affecti.
- 4. hora mox à cibo. &c.

- 1. exulceratio partium interiorum oris.
- 2. propenſio ad deſtillationes ad fauces & pectus. &c.

V. Diſcutientia

- 1. humor craſſus.
- 2. cutis denſa
- 3. locus affectus in profundo ſitus.
- 4. morbi principium. &c.

Similiter alterantium tàm qualitate primâ v. g. calidorum frigidorum &c. quàm ſecundâ, ut repellentium, adſtringentium, ſuppurantium &c. uti & eorum quæ motum humorum corrigunt, qualia ſunt revellentia, repellentia, derivantia &c. contraindicationes delineo.

Formulas autem remediorum quod attinet, habent & illæ ſuas contraindicationes. V. g. emplaſtra non tolerant oculi, ſicuti nec topica quælibet facilè ferunt, maximè autē olea, à quibus & vulnera cutis partiumque carnoſarum abhorrent. Has autem non aliter ac medicamentorum contraindicationes trado. Atque ſic & altera novæ methodi ſectio eſt deſcripta.

Tertia tandem agit de Regulis, tàm generaliſſimis quàm generalibus. Illæ ſunt:

1. *Omne quod indicat, ſui conſervationem vel ablationem indicat.*

2. *Quæ ſecundum naturam ſunt, conſervanda: quæ verò præter naturam, tollenda ſunt.*

3. *Contraria contrariis tolluntur: ſimilia ſimilibus conſervantur.*

4. *Inter duo mala minus eſt eligendum, &c.*

Gene-

Generales verò ſunt vel de indicationibus, vel contraindicationibus, vel remedijs, vel adhibendi ordine. De *indicationibus* quæ petuntur, vel de morbô agunt, ut:

1. *Qui plurimum à ſtatu naturali & ætatis naturâ diſtat morbus, vehementioribus eget remediis: qui verò minus, mitioribus.*
2. *Extremis morbis extrema debentur remedia.* l. 1. aph. VI.

vel de morbi cauſa, ut:

1. *Melius eſt κατ' ἐπίκρασιν humores educere quàm unica vice:* ſi ſc. ſint copioſi.
2. *Cauſa morbifica eſt ejicienda per illas vias quas natura affectat.*
3. *Cauſa morbifica non debet duci per partes nobiles vel ob morbum quendam debiles.*
4. *Materia multa non tollitur à medicamento debili;* ſi ſcil. unica vice ſumatur. *&c.*

vel de locis affectis, ut:

1. *Quando per varias vias medicamentum ad locum affectum pervenire poteſt, eligenda eſt proxima.*
2. *Pars in profundo ſita fortius requirit remedium.*
3. *Pars ſua natura frigidior mitiora requirit refrigerantia.*
4. *Locus affectus ſemper requirit medicamenta appropriata.*
5. *Locus affectus ſemper eſt roborandus.*
6. *Cujuslibet partis temperamentum & ἰδιοσυγκρασία ſunt obſervanda. &c.*

vel

vel de viribus, ut:

1. *Virium conſervatio præſtantior eſt quàm morbi depulſio. &c.*

vel de ſymptomatibus, ut:

1. *Symptomata quàm fieri poterit celerrimè ſunt mitiganda ſi urgeant.*

2. *Symptomata ad morbi & cauſæ morbificæ ablationem evaneſcunt. &c.*

De *Contraindicationibus* talis eſt regula:

Indicationibus ſibi invicem repugnantibus eligenda eſt fortior & commodior.

De *Remediis* regulæ ſunt duplices, 1. generaliſſimæ, 2. generales. Illæ ſunt:

1. *Quicquid antipathiam fovet cum ægroto, illud neutiquam offerendum: nec intra corpus danda deleteria.*

2. *Medicamenta ventriculo vacuo ſumantur. &c.*

Generales verò ſunt, v. g.

1. De Revellentibus, ut:

1. *Revellentia ſemper in parte oppoſitâ ſunt adhibenda.*

2. *Revulſio debet fieri ad partem remotiſſimam.*

3. *Revulſio debet fieri ad principium fluxionis. &c.*

2. De Derivantibus, ut:

1. *Revulſionis pediſſequa eſt Derivatio.*

2. *Derivatio debet fieri ad partem vicinam, & meatibus cum affecta communicantem. &c.*

Et

Et ſic porrò v. g. de oleis, emplaſtris, repellentibus, intercipientibus, adſtringentibus, digerentibus, dulcibus, &c. De *Ordine* tales conſtituo:

1. *A remotione cauſæ morbificæ eſt auſpicandum niſi quid impediat.*
2. *Cauſæ eo ordine tollendæ quo ſe inVicē conſequuntur.*
3. *VniVerſalia ſunt præmittenda particularibus, &c.*

Hinc ergò facilè intelligit B. L. me id operam dediſſe, ut iſta rerum momenta, *quid, quantum, ubi, quomodo, quando* & *quo ordine*, quæ aliàs multas parere difficultates ſolent, tyro, ediſcendo haſce regulas, præter opinionem veluti memoriæ imprimat. Sed methodi hujus applicationem & uſum ſequens caput monſtrabit.

CAPUT III.

ARGUMENTUM.

1. Quæ conſideranda in methodi hujus applicatione & quomodo procedendum. 2. cur ita procedendum. 3. oſtenditur uſus Tab. I. 4. quid intemperies ventriculi frigida indicet. 5. oſtenditur uſus Tab. II. 6. eruuntur ex cauſis intemperiei cum materia indicationes. 7. oſtenditur uſus Tab. III. 8. quomodo ventriculus ſit coindicans cauſæ morbificæ. 9. quotuplices ſint cauſæ remotæ quæ indicationes ſuppeditant. 10. morbus antecedens eſt indicans. 11. quomodo curandus catarrhus. 12. ſuppreſſæ evacuationes ſunt morborum cauſæ. 13. contraindicationum uſus oſtenditur. 14. ventriculus non fert nimis calida niſi humida addantur. 15. regularum uſus monſtratur. 16. quomodo receſſus à temperamento ſit inquirendus. 17. quomodo pituita copioſa ex ventriculo auferenda. 18. quo ordine ſint adhibenda remedia. 19. emetica non debent ante purgantia adhiberi.

QUi ergò delineatâ methodo in curandis morbis uti voluerit, illū tribus eſſe intentū oportebit. Primū eſt,

ut *indicationes eruat:* alterum, ut *de contraindicationibus diſpiciat:* tertium, ut *regulas evolvat.* Agendo illud, quid faciendum ſit cognoſcet; examinando alterum, an tutum ſit intelliget; & conſiderando ultimum, quomodo ſit uſurpandum diſcet.

Quando itaque offertur morbus; v. g. Intemperies ventriculi frigida cum materia; primò ipſum morbi genus examino: quia verò intemperies eſt, recurro ad Tab. I. de morbis, quam ſuprà dedi, & ibi indicatum ipſius ſtatim deprehendo, nimirum calefacientia: ſeorſim itaque noto hanc indicationem: *eſt calefaciendum.* Deindè *proximam morbi cauſam* exploro eamq; ad Tab. II. refero: quia ergò pituita eſt in ventriculo concluſa, ſequentes indicationes vel indicationum modi hinc emergunt:

1. *ſunt offerenda purgantia phlegmagoga.*
2. *vomitus eſt ciendus.*
3. *ſunt movendi ſudores.*
4. *ſunt adhibenda diuretica.*

Per tot enim vias pituita evacuari poteſt. Ratione verò craſſitiei attenuantia & incidentia, ſicuti ex Tabula manifeſtum eſt, requirit. *Locus affectus* eſt ventriculus, qui ex Tab. III. medicamenta ſtomachica poſtulat, & quodammodò adſtringentia: item vomitoria & purgantia, quia utroque modo ab excrementis liberatur: & horum reſpectu coindicans dicitur ventriculus, cum ipſo humore, qui eſt in vitiô. Et hucusq; ſunt indicationes *curatoriæ.*

Præſervatoriæ ducuntur à cauſis remotis, ſivè antecedentes ſint, ſivè antecedentes producant, ſivè eas moveant, quæ in ſpecie dicuntur procatarcticæ. Huc & affectus

fectus p. n. pertinent, qui non rarò aliorum morborum cauſæ eſſe poſſunt. Si igitur cauſa remota hujus intemperiei eſſet catarrhus; ecquis dubitaret illum eſſe inhibendum? Quia verò catarrhus nihil aliud eſt, quàm defluxio humorum à cerebro in partes ſubjectas, ſymptomatis rationem habet, & conſequenter nullam indicationem ſuppeditat; ſed tollitur ſublatô morbô, quem inſequitur. Iſte autem morbus eſt intemperies cerebri pituitoſa; quæ ex præſcriptâ methodo noſtrâ, planè ad eum modum, quo ventriculi, eſt curanda. Inter cauſas remotas & illas nomino, quæ ad pituitæ aliorumque humorum generationem faciunt; quales ſunt, quod ad phlegma attinet, ventriculi & partium adjacentium conſtitutio frigida, aër frigidus & humidus, ſomnus nimius, cibi frigidi, copioſi, coctu difficiles, conſueta evacuatio ſuppreſſa, & ſimilia quæ quocunque modo pituitæ cumulationem promovent. Tales cauſæ verò omnes, cum p. n. ſint, ſui remotionem indicant, juxta, quam tradidi, regulam: *quæ ſecundum naturam ſunt conſervanda, quæ verò p. n. tollenda ſunt.* Procatarcticæ cauſæ ſunt aër calidus, frigidus, humidus, inedia, motus nimius, ira, &c. quæ, ut ſuprà dixi, omnes removeri poſtulant; iſta autem remotio fit per contraria, ſecundum regulam: *Similia ſimilibus conſervantur, contraria contrariis tolluntur.* Symptomata, quæ urgeant, plerumque abſunt, ſicuti nec virtus vitalis adeò proſtrata eſſe ſolet, ut ſui corroborationem indicet, niſi fortè ex ἀνορεξίᾳ, quæ hanc intemperiem ferè comitatur, ſit debilitata.

Atque ſic indicationes in intemperie ventriculi frigida cum materia habes, ſecundum quas inſtituenda curatio, modò à contraindicationibus tutæ il-

læ ſint atque ſecuræ. *Prima* indicatio erat eſſe calefaciendum; recurro igitur ad Tabulam contraindicationum, & numerum de calefacientibus quæro; ibi ſtatim deprehendo, illa non admitti à ventriculo, ſi nimirum nimis calida ſint, quia periculum eſt ne ob adjunctam ſiccitatem, humiditatem ventriculi abſumant, & conſequenter privativam frigiditatem, ut Cl. Sennert. l. III. Pr. p. XXI. loquitur, inducant: hinc vel planè non admittuntur, etſi à magna intemperie juxta Regulam noſtram: *Qui plurimum à ſtatu naturali diſtat morbus vehementioribus eget remediis;* indicentur: ventriculo videlicet contraindicante; vel ijs admiſcenda ſunt humida, ut hac ratione imminens à ſiccitate periculum auferatur. Et ſic locus affectus nimirum ventriculus, non quidem rejicit in totum calida, ſed ea tantum modificat, quod nimirum non nimis calefacientia eſſe debeant. Et hoc eſt, quod antea de contraindicationibus in genere monui.

Ad hunc modum cum reliquis indicationibus procedendum, quarum indicata ſemper cum contraindicationibus ſunt conferenda, ut veritas hinc eliciatur. Conſtitutis igitur & corroboratis indicationibus Regulæ ſunt perluſtrandæ, ne ad feliciter medendum quicquam deſit. Talis verò ſervandus ordo, qualem in præcedenti capite, cùm earum mentionem facerem, delineavi. Sub titulo de morbo ejuſmodi deprehendo: *Qui plurimum à ſtatu naturali & ætatis natura diſtat morbus vehementioribus eget remediis:* quando ergò ex phyſiologiâ & ſemeioticâ novi, qualis ſit ventriculi temperatura, nec ætas patientis me latet, iſtum receſſum facilè aſſequi, & facta applicatione doſin medicamentorum definire potero; quamvis

hæc

hæc indicatio illi, quæ à loco affecto accedit, contraindicationi cedat.

Sub titulo de morbi cauſa hæc eſt: *melius eſt κατ' ἐπίκρασιν humores educere quàm unica vice*; hanc regulam ad indicationem à cauſa morbifica deſumptam, quæ purgantia phlegmagoga requirebat, refero, & modificabit eam, ut perfecta indicatio ſit talis: *pituitæ copia eſt evacuanda per phlegmagoga ſed partitis vicibus.* Iſte titulus & hanc habet: *materia multa non tollitur à medicamento debili.* Hinc concludo: hîc adeſt materia multa; ergò medicamentum purgans debet eſſe forte. Sed hoc repugnat evacuationi κατ' ἐπίκρασιν, quæ quia fortior eſt, meritò præfertur.

Porrò & iſtam ibi lego: *Materia eſt educenda per viam proximam;* hanc refero ad eam indicationem, quæ vomitum denominabat, & eam corroborabit.

Hac ergò methodô, quid agendum ſit & quæ applicanda remedia in intemperie ventriculi frigidâ cum materiâ, facillimè invenire poſſumus. *Ordinem* verò adhibendi indicata itidem regulæ docent. Primò ergò evacuandum eſt juxtà regulam: *à remotione cauſæ morbificæ eſt auſpicanda curatio niſi quid impediat.* Deinceps ſequi poſſunt emetica, quia ſunt evacuantia particularia, *univerſalia* autem *ſemper ſunt præmittenda particularibus.* Tertiò ſequuntur calefacientia, quia *alterantia poſtponenda ſunt evacuantibus*; ea verò quæ attenuando alterant, purgantibus præmittere decet, quia ſunt præparantia: *nulla* autem *materia debet evacuari niſi concocta fuerit,* l. 1. aph. XXII, aut præparata.

Videt ergò B. L. quomodo generali hac methodô per applicationem utendum ſit, & quid de ea promittere ſibi poſſit. Nunc ad Inflammationum curam dirigendus eſt ſermo, & quomodo ad unam omnes ex iſta methodo curari queant, declarandum. Quod in ſequentibus præſtare capitulis pro virili allaborabo.

CAPUT IV.

ARGUMENTUM.

1. Nova methodus non abhorret à Galeni dogmatibus. 2. quomodo nova methodus à Galeni methodo differat. 3. applicatio methodi generalis oſtenditur exemplo curationis inflammati hepatis. 4. cur exemplum particulare aſſumendum. 5. Homonymia vocabuli Inflammationis. 6. quod interdum pro tumore ſumatur. 7. eryſipelas dicitur Inflammatio. 8. Signa diagnoſtica Inflammationis. 9. unde oriatur Intemperies calida. 10. quod ſanguis ſit calidus. 11. an veſpertilionis ſanguis à pube præſervet. 12. an ſanguis poſſit putreſcere. 13. an ſanguis putreſcens fiat calidior. 14. unde oriatur Tumor. 15. an omnes partes nutriantur ſanguine. 16. unde dolor oriatur. 17. unde iſta dolorum differentiæ. 18. non quælibet Inflammatio habet dolorem pulſativum. 19. ſubjectum Inflammationis. 20. rubedinis cauſæ. 21. tenſionis cauſæ. 22. cur tumor tactui interdum cedat, & quæ cauſa ἀντιτυπίας.

DUm verò ſecundum novam methodum generalem de Inflammationum cura me dicturum promitto; à præconcepta opinione liberandus eſt lector, ne à Galeni Scholarumque placitis abhorrentem medendi rationem hîc defenſum iri exiſtimet. Nam id potius operam dabo, ut, niſi maxima rei abſurditas in aliam ſententiam me abripiat, veſtigia Galeni premam, & dogmata ipſius amplectar, ita tamen ut compendioſiori methodô hîc proferantur.

Quia verô indicationes non ſolùm à morbô & ipſius

causâ

cauſâ, ſed à locô affectô quoque deſumuntur, operæ pretium perpetraturum me confido, ſi certam aliquam Inflammationem exempli gratia conſiderem, ita ut ſecundum illius normam & reliquarum curatio inſtitui queat. Nam meliori ratione nec contraindicationum uſus oſtendi, nec Regulæ applicari poſſunt. Aſſumemus autem Inflammationem Hepatis, quam Galenus c. XI. proponit, & faciemus periculum, an methodus noſtra ſit ſufficiens ad illius curationem.

Per Inflammationem verò non intelligimus nudam φλόγωσιν, quam, ut Gal. c. I. ait, ſubinde Phlegmonem appellarunt veteres, quod com. IV. in l. VI. Epid. quoque fatetur: *μεμνήμεθα*, inquit, *ὅτι καὶ τὰς φλογώσεις ἁπάσας ὀνομάζουσι φλεγμονὰς, κἂν χωρὶς ὄγκου παρὰ φύσιν εἶεν*; & com. ad aph. LXV. l. V. *καὶ μέντοι καὶ αὐτὸ τοῦτο τοὔνομα τῆς φλεγμονῆς ἐπὶ τῆς φλογώσεως μᾶλλον οἱ παλαιοὶ πάντες ἔλεγον εἰ καὶ χωρὶς ὄγκου συστάιη.* Et hoc ſenſu Inflammationum aliam ſiccam dicebant, aliam humidam, prout intemperies vel cum materia erat, vel ſine ea, teſte Hier. Fabricio l. I. part. II. de Tumor. p. n. p. DLXXI. Sed tumorem ſanguineum cum intemperie calidâ, per hoc vocabulum denotamus.

Quod pro Tumore ſumatur, docet Gal. com. IV. l. VI. Epid. *οἵ γε μὴν μετ᾽ αὐτὸν* (ſc. Hippocratem) *καὶ τὸ τῆς φλεγμονῆς ὄνομα κατὰ τῶν παρὰ φύσιν ὄγκων ἐπιφέρουσιν.* Dum verò ſanguineum dico, diſtinguo ab Eryſipelate & Herpete, quibus l. II. ad Glauc. c. I. Inflammationis nomen tribuitur; & hoc eſt quod Arabum decus Aben-Sina l. IV. fen. III. tr. I. c. 2. habet, ſc. *nomen Phlegmones in lingua Græcorum eſſe abſolutum ſuper omne quod eſt inflammatum; deindè dici de omni apoſtemate calidô.*

Quod ergò Gal. com. IV. de rat. vict. in acut. ſcribit,

οἱ νεώ-

οἱ νεώτεροι τῶν ἰατρῶν καλοῦσιν οὕτως (ſc. φλεγμονὴν) μόνον ἐκεῖνον τὸν ὄγκον, ὃς ἀντίτυπός τε καὶ ὀδυνηρὸς, ἢ μετὰ θερμασίας πολλῆς, idem & nobis probatur, & proinde de hac Phlegmone diſſeremus, ἥτις ἅμα τῇ φλογώσει καὶ τάσιν ἔχει περὶ τὸ μόριον, ἡμῖν θ' ἁπτομένοις φαινομένην, αὐτῷ τε τῷ κάμνοντι διὰ τῆς ἰδίως ὀνομαζομένης συναισθήσεως, & quam Galenus porrò his verbis deſcribit: οὐδὲν δ' ἧττον τῆς τάσεως ἀντίτυπόν ἐστι τὸ φλεγμαῖνον μόριον, εἴ ἐστι ὄγκῳ τε μείζονι τοῦ κατὰ φύσιν, ὀδύνη δ' αὐτῷ σύνεστιν ἤτοι γ' ἐλάττων ἢ μείζων. ἐνίοτε δὲ καὶ μετὰ σφυγμοῦ συναισθήσεως ὅταν ἐπὶ πλέον αὐξηθῇ τὸ νόσημα, καὶ μάλισθ' ἡνίκα ἐκπυΐσκεται. οὕτω δὲ καὶ τὸ καλούμενον ἔρευθος ἤτοι γ' ἧττον ἢ μᾶλλον: h. e. *quæ ſupra Inflammationem tenſionem quoq; in particula facit, quam non modò ipſi tactu deprehendimus, ſed etiam ipſe æger proprio ſenſu advertit, pro tenſionis modo, tangenti quoq; renititur pars Phlegmone obſeſſa, auctiorq; eſt quàm pro naturali habitu, nec dolor illi major minorve deeſt, cum quo nonnunquam & pulſationis ſenſus, cum ſc. malum amplius increvit, ac potiſſimum cum ſuppurat. Rubor quoq; in parte quæ Phlegmone laborat major minorve ſemper viſitur.* c. I.

Adeoque ſigna diagnoſtica noſtræ Inflammationis, prout à Galeno recenſentur, ſunt hæc: 1. calor p. n. 2. tenſio in particula inflammata. 3. tumor. 4. dolor. 5. pulſatio. 6. rubedo partis. 7. renitentia. Cum enim Inflammationis cauſa ſit ſanguis, fieri non poteſt, quin iſta ſubſequantur: nam ratione caliditatis ſuæ, accedente cumprimis putredine, Intemperiem inducit. Nam ἅπασιν ἐν τῷ φλεγμαίνοντι μορίῳ θερμότερον γίνεται h. e. *omnibus in ipſa parte quæ Phlegmone vexatur calidior efficitur*, inquit Gal. c. 11. & *calidum apoſtema oritur ex quacunq; materia ſivè ſit calida per ſuam eſſentiam ſivè accidat ei caliditas propter putrefactionem*, teſte Aben-Sina l. 1. fen. 11. dr. 1. c. v. Utrumque in

que in inflammatione locum habet; nam & ſanguis ratione temperamenti ſui calidus eſt, & peregrinam caliditatem à putredine acquirit. Illud ex Ariſtotele probo: *ἄυτη δ᾽ ἐστὶν αἰτία καὶ τῷ αἵματι τῆς ὑγρότητος καὶ θερμότητος*, inquit l. III. part. an. c. V. *ἡ γὰρ ἀπ᾽ ἐκείνης* (ſc. *καρδίας*) *θερμότης κωλύει πήγνυσθαι* ſc. *τὸ αἷμα*, l. II. part. an. c. IX. *τὸ γὰρ αἷμα θερμὸν*, ſect. VIII. probl. II. Cum Ariſtotele conſentit Gal. l. I. de Temper. c. ult. dum vaſorum tunicas naturæ frigidiſſimæ contactu ſanguinis calefieri ſcribit; ſi ergò ſanguis non eſſet calidus, non poſſet calorem diffundere in tunicas vaſorum, nam quod quis non habet alteri communicare nequit. Sed apertè idem fatetur l. de morb. cauſ. c. VI. ubi ait: *bilis flava poteſtate calida eſt & ſicca; atra verò ſicca & frigida; ſanguis humidus & calidus; pituita frigida & humida.* Et vel maximè l. X. ſimpl. fac. c. I. *ſanguis alius eſt liquidior; alius ſiccior: hic magis, ille minus calidus. Nam frigidus ſanguis nullus eſt.* Et c. IV. ubi de veſpertilionis ſanguine loquitur, quod quidam puerorum pudendis illum illinant, & exiſtiment ita diutiſſimè eas partes à pube ſervari poſſe immunes; ex vehementi partis refrigeratione ejusmodi quippiam poſſe contingere fatetur quidem; ſed ſtatim ſubjicit: *non tamen adeò frigidæ facultatis eſt veſpertilionis ſanguis. Nam in totum nullus ſanguis frigidus eſt.* Quod & Aben Sina ſeu Avicenna admittit dum l. I. f. I. dr. IIII. c. I. *Sanguis verò natura calidus exiſtit & humidus*, infit: & part. I. tr. I. cant. 66. *ſanguis calidæ & humidæ eſt qualitatis.* Vnde de veſpertilionum ſanguine dicit: *Sanguis veſpertilionis, ſecundum quod dicitur, prohibet ortum pilorum, & non eſt ei veritas*: l. II. tr. II. c. DCX.

Deinde etiam ſanguis illius caliditatis cauſa eſt, qua-

tenus putreſcit. Quod putreſcere poſſit, Gal. l. II. de diff. febr. c. IX. confirmat dicens: *ἐν τινὶ μορίῳ τοῦ ζώου, τὸ αἷμα πλέον ἀθροισθὲν, ὑπὲρ τὴν δύναμιν αὐτοῦ, διαφθείρεται. καὶ μάλισθ' ὅταν ἐμφραχθῇ διὰ πάχος ἐν μικροῖς ἀγγείοις ἢ σφηνωθῇ διὰ πλῆθος, ὁποῖόν τι συμβαίνει καθ' ἁπάσας τὰς φλεγμονάς. ἐν γὰρ ταῖς κατὰ διττὴν αἰτίαν φθείρεται τὸ αἷμα, τῷ τε μὴ διαπνεῖσθαι καὶ τῷ μὴ κρατεῖσθαι πρὸς τῆς φύσεως.* i.e. *Vbi vero in aliqua corporis parte ſanguis plurimus accumulatur, ejusdem partis vim ſuperat, corrumpi conſuevit: præſertim ſi in parvis vaſis propter craſſitudinem conſtipetur, aut ob multitudinem impingatur, quemadmodum videre eſt in univerſis inflammationibus, in quibus ſanè duabus de cauſis ipſe ſanguis corrumpitur, & quia ſc. non difflatur, & quia à natura non vincitur. Nonnunquam ergò ſanguis in inflammatis particulis ſubire poteſt putredinem.* Quod verò ob putredinem fiat calidior, ex methodo ſanandi putredinem, quam l. XI. M. M. c. VIII. tradit, apparet, nimirum eô, quod jam corruptum eſt, evacuatô, *reliquum refrigerante perſpiratu ad exactam ſymmetriam reducit*, &, *in humorum putredine & excretio & refrigeratio & ventilatio &c. ex adverſo reſpondent*, inquit l. XI. M.M. c. XIII.

Tumorem ratione copiæ ſuæ inducit: nam *γένεσις κοινὴ πάσαις ταῖς φλεγμοναῖς ἐξ αἵματος ἐπιῤῥοῆς ἐστὶ πλείονος ἢ ὅσου δεῖται τὸ μέρος* h. e. *communis omnium phlegmonarum generatio ex ſanguinis influxu eſt copioſioris ſc. quam pars poſtulat, veluti tùm in libro de Tumoribus p. n. oſtendimus, tum in eo qui de inæquali Intemperie eſt inſcriptus*, inquit Gal. c. III. Hinc duo diſcimus, I. quod ſanguis naturaliter ad partes fluat pro earum nutritione & conſervatione. Hoc docet l. IV. de ſanit. tuend. his verbis: *in ipſo tranſitu per inteſtina ac potisſimũ tenuia, venæ quæ huc pertinent, alimentum ad ſe rapiunt, quod ex mora quam in ventre habuit, & alteratum & animali magis idoneum.*

idoneum eſt effectum: mox in ipſis venis quoq; ab alia in aliam traditur, ad eundem modum, quô ex ventre in venas; hinc verò jam planè confectum in ſingulas pertrahitur animalis partes, ubi tertiã concoctionem nactum ipſi alendo corpori aſſimilatur. Quod & Aben-Sinæ placet ſcribenti, *ſanguinis cauſa finalis eſt ut nutriat corpus*, l. 1. fen 1. dr. IV. c. 1. 2. ex allegatis Galeni verbis & hoc diſcimus; ſanguinem interdum nimis copioſè affluere; quod qua ratione contingat, eodem capite exponit, dum vel ob ὦσιν vel ἕλξιν id fieri ſtatuit, de quibus tamen alio loco dicturi ſumus uberius. Nobis impræſentiarum noſſe ſufficit, id quod recentior Anatome docet, ſanguinem per arterias cum quodam impetu ruere ad partes, ibiq; niſi receptus detur in venas, non poſſe non ὄγκωσιν producere: receptum verò in venas omni genere obſtructionũ & eorum quæ apta ſunt intercipere, poſſe & ſolere prohiberi. Satis etiam eſt monuiſſe, ſanguinem, cùm pro copia ſua nequeat in partium ſubſtantiam converti totus, extra tamen vaſa labatur, illas neceſſariò diſtendere & attollere in tumorem, cum non habeat vacuum quod occupet.

Eô verò ipſô dum partem diſtendit, unitatem ipſius ſolvit, & hac ratione doloris quoq; cauſa exiſtit. ἡ γὰρ κατὰ φύσιν ἔννοια, τὸ πάθος χρῆναι τοῦ σώματος ᾧ μέλλει πονήσειν ἤτοι συνεχείας λύσιν ἢ ἀλλοίωσιν εἶναί τινα διδάσκει. h. e. *Naturalis notitia nos docet vitium id corporis ex quo ſit doliturum aut continuitatis diviſionem oportere eſſe aut alterationem aliquam*, inquit Gal. l. XII. M. M. c. VII. cum quo plane conſentit Avicenna l. 1. fen. II. dr. II. c. XIX. dicens: *Omnes doloris cauſæ in duobus comprehenduntur generibus, ſc. genere mutationis complexionis ſubito factæ, & genere ſolutionis continuitatis.* Quod verò diſtendendo continuitatem ſolvat ſanguis, itidem ex l. XII. M. M. c. VII. diſcimus, ubi Galenus: ἀναγκαῖον ἤτοι

ῥῆξιν, ἢ θλάσιν, ἢ διάβρωσιν εἶναι τὴν διάθεσιν ἐν τῷ διαιρεῖσθαι τὸ συνεχές. ἀλλ' ἡ μὲν ῥῆξις, ἐκ τάσεώς τινος, ἡ δὲ τάσις ὑπό τινος ἔνδον οὐσίας πολλῆς διατεινούσης τὸ περιέχον αὐτὴν σῶμα: *neceſſe eſt vel ruptionem vel contuſionem vel eroſionem eſſe affectum eum qui diviſionem continui faciat. At verò ruptio, ex diſtenſione quadam, quæ ab aliqua intrinſecus ſubſtantia, quæ multitudine ſua corpus ſe continens diſtendat.* Accedit & altera doloris cauſa, nempe intemperies calida; de qua cùm ſupra dictum ſit, prolixiores hic eſſe nolumus.

Iſte verò dolor pro diverſitate locorum affectorum varius eſt. Nam quando membranæ inflammatæ ſunt, dolor quem patiuntur pungitivus eſt, *punctorius enim dolor ad membranas non ad imas partes proprie pertinet*, inquit Gal. l. II. de loc. aff. c. II. & hinc pleuritidis dolor pungitiv⁹ eſt teſte Gal. l. II. de criſib. c. x. & Avicen. l. III. fen. x. tr. IIII. c. I. Et in genere quindecim dolorum differentias tàm à loco affecto quàm cauſa morbifica deſumptas proponit Aviceña l. I. fen. II. dr. II. c. xx. quas Gal. l. II. de loc. aff. c. II. examinat. Cum enim illæ tantum corporis noſtri partes dolorē percipiant, quæ ſenſu præditæ ſunt, teſte Gal. l. XII. M. M. c. VII. quædam verò planè non ſentiant, ut ibidem fatetur, quædam obtuſiùs, quædam acutiùs, hinc *ubi particula acutiori ſenſu eſt, ibi dolore vehementiore cruciatur, ubi vero ſenſum habet hebetiorem, ibi minus dolet*, inquit ſæpius citato l. II. de loc. aff. c. II. Vtut autem hæc ſint, *ingentium inflammationum accidens eſt dolor pulſativus*, inquit Gal. l. c. Vbi ergò magna eſt inflammatio, ibi etiam pulſus cum dolore percipitur ex Galeni decreto. Vnde hoc diſcimus, non in qualibet Inflammatione dolorem adeſſe pulſatorium, & hinc fruſtra eſſe quotquot ſtatuunt inflamationum ſignum παθογνωμονικὸν eſſe pulſum, quamvis inter propria earum

merito

merito referendum cum Cl. Sennerto ſtatuamus. Etenim ſoli Inflammationi non verò omni eum convenire nemo dubitat, quia dolor pulſativus non datur niſi eo in loco qui arterias habet, docente Gal. l. II. de loc. aff. c. I. At verò Inflammatio non ſemper talem locum occupat. Nam etſi Gal. l. de tumor. c. II. μόρια σαρκώδη Inflammationis ſubjectum conſtituat, id tamen ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ verũ eſt, quia per illas partes vaſa percurrunt, quæ facile ſanguinem effundere poſſunt. Interim & aliæ partes Phlegmone tentantur; nam *Inflammatio non eſt partium tantum cuti ſubjectarum, ſed harum quidem præcipue, nonnunquam verò etiam cutis*, inquit l. II. art. curat. ad Glauc. c. I. Sic & venas, nervos, ligamenta, membranas inflammari poſſe, egregijs virorum & experientiæ teſtimonijs fretus affirmat Hier. Fabr. part. II. de Tum. p. n. l. I. c. V. p. 571. Quando itaque Gal. l. II. de loc. aff. c. I. in laterali morbo dolorem punctorium eſſe, & in Inflammatione pulſativum, apud omnes ferè Medicos in confeſſo eſſe ſcribit, non intelligenda hæc ſunt ἁπλῶς & κατὰ παντός, ſed ὡς ἐπὶ τὸ πολύ; unde notanter dicit c. I. libri noſtri ſc. XIII. *cum quo* (ſc. dolore) *nonnunquam & pulſationis eſt ſenſus, cum ſcilicet malum amplius increvit ac potiſſimum cum ſuppurat.*

Præter verò quæ hactenus enumeravimus, & rubedo parti inflammatæ advenit, & tenſio, & renitentia. *Rubedo à multo calore oritur*, inquit Hier. Fabr. l. I. de Tum. part. II. p. DLXXII. Ariſtoteles vero ſect. IX. probl. III. αἵματος συνδρομὴ τὸ ἐρύθημά ἐστι i. e. *rubedo non niſi concurſus ſanguinis eſt*, ait. Et cum Ariſtotele Sennertus facit dum inquit: *rubent partes inflammatæ colorem hunc ſanguine communicante*, l. V. part. I. cap. V. p. XXXII. Quod ergò ille calori, hi ſanguini adſcribunt. Ego utramque opinionem conjungo penitusque

que mihi perſuaſum habeo, præcipuam iſtius rubedinis cauſam eſſe quidem ſanguinem, ſiquidem cutis talem præ ſe fert colorem, qualem à partibus ſubjacentibus accipit: hinc in corporibus pituitoſis facies albet ob ſubjectam pituitam: quando ergò ſanguis ſubſternitur, rubet, quia talem colorem ipſe ſanguis obtinet, unde Avicenna de curatione ſuperfluæ rubedinis loquens, cauſam ipſius *frigus eſſe* dicit *coarctans vaporem plurimum ſanguineum*, l. IV. fen. VII. tr. II. c. VIII. Attamen calorem non penitus excludendum eſſe exiſtimo, quia is ſubtiliat ſanguinem & rarefacit cutem, ut ſanguinis color eò facilius transpareat.

De Tenſione non opus eſt, ut multa dicamus, quia à nimia ſanguinis copia eam provenire jam ſuprà oſtendimus.

Quemadmodum verò ſanguinem copioſum ſequitur tenſio, ita tenſionem excipit ἀντιτυπία: quod ijs verbis Galenus innuit: *quin etiam pro tenſionis modo tangenti quoque renititur pars phlegmone obſeſſa.* Nimirum tumor interdum cedit tactui, ut in hydrope videre eſt; id autem dupliciter contingere exiſtimo, (1) quando materia non adeo copioſa & dura eſt, (2) quando materia poteſt retrocedere. At verò in Inflammatione ſanguis admodum copioſus eſt, ut oſtendi, nec retrocedere poteſt, partim ob craſſitiem, partim ob loci defectum; ergò nec tangenti cedit, ſed reſiſtit atque renititur; & hoc eſt quod Galenus docet. Sic ergò & caloris & tumoris & tenſionis & doloris & rubedinis & renitentiæ cauſa eſt ſanguis, atque ſic veram Inflammationem producit.

CAPUT V.

ARGUMENTUM.

1. *Indicationes in curatione Inflammationis obſervandæ.* 2. *Diæta*

refertur

refertur ad cauſas externas. 3. *Dolor eſt ſymptoma.* 4. *Dolor indicat.* 5 *Doloris effectus.* 6. *ab anodynis auſpicanda Inflammationis curatio.* 7. *Galenus conciliatur cum ſe ipſo.* 8. *Dolor dupliciter tollitur.* 9. *Vniverſalia ſunt particularibus præmittenda.* 10. *oculi non tolerant olea.* 11. *fruſtra ophthalmiæ curatio peculiariter deſcribitur.* 12. *medicamenta Galenus non tradit in hoc libro niſi exempli gratia.* 13. *anodyna.* 14. *Hepar non admittit quæ laxant.* 15. *Attalum reprehendit Galenus.* 16. *Indicationes à loco affecto ſunt ſedulò notandæ.* 17. *formulæ remediorum ſunt variæ.* 18. *ceratorum & emplaſtrorum contraindicans.* 19. *quando narcotica adhibenda.* 20. *appropriata ſemper miſcenda medicamentis.* 21. *Locus affectus eſt roborandus.* 22. *adſtringentia ſemper locum habent in Hepatis Inflammatione.* 23. *Refrigerantia ſunt adhibenda.* 24. *hoc eſt doctrinæ Galeni congruum.* 25. *Phlegmone eſt morbus compoſitus.* 26. *quomodo Eryſipelatis curatio ab Inflammationis curatione differat?* 27. *triplici de cauſa refrigerandum.* 28. *Intemperies calida in Phlegmone non eſt ſymptoma.* 29. *morbus non eſt ſymptoma.* 30. *homonymia vocabuli ſymptomatis.* 31. *non datur Inflammatio ſymptomatica.* 32. *Inflammatio non poteſt definiri per Tumorem.* 33. *Refrigerantia debent eſſe appropriata.* 34. *medicamentum refrigerans ubique refrigerat.* 35. *cephalica ſympathiam habent cum capite.* 36. *Hepar non admittit refrigerantia in 4 gradu, nec actu tepida.*

TAlis ergò ſi Hepar infeſtet, juxta ſequentes Indicationes ex Generali methodo noſtra depromptas expugnanda erit.

1. Dolor eſt compeſcendus.
2. Locus affectus eſt refrigerandus, & per adſtringentia corroborandus.
3. Sanguinis copia eſt tollenda.
4. Cacochymia eſt evacuanda.
5. Sanguinis motus perverſus eſt corrigendus, & nimius compeſcendus.
6. Sanguis inſenſibiliter eſt diſcutiendus, vel ad ſuppurationem ducendus.

Poſſet

Poſſet & ſeptima addi, nimirū Diætam eſſe rectè inſtituendam, niſi ad cauſas externas, de quibus poſteà, pertineret.

Quod igitur ad dolorem attinet, equidem verum eſt, illum eſſe ſymptoma, & ſecundum methodum noſtram in curatione ordinariè non attendendū, quia evaneſcit ſublatô affectu, quem inſequitur. Cùm verò ſymptomata non unius ejusdemque generis ſint, ſed nonnunquam niſi maturè ijs occurratur, curationem vel difficilem reddant vel impoſſibilem, videntur ad ſe eam rapere. Et hoc eſt quod Gal. l. xII. M. M. c. I. ait; *Cum febre incidunt quædam graviora ſymptomata, quibus proſpici majore medentis ſolicitudine debet*; interea verò & Dolor ingens refertur, quia haut raròſyncopen inducit, ut l. xII. M. M. c. vII. cùm vires reſolvat l. xII. M. M. c. I. inſuper febrem quoq; excitat l. vIII. M. M. c. V. & fluxionem parit l. III. M. M. c. Iv. & membra à ſuis propriis operationibus prohibet, teſte Avicenna l. I. fen. II. dr. II. c. xxI. Ergò maxima ipſius ratio habenda eſt, cumprimis in Inflammatione: *nihil enim eſt quod profluvium magis quàm dolor proritet & phlegmonas augeat*, inquit Gal. l. v. M. M. c. Iv. & proinde quam primum ſedandus erit.

Hoc autem ex methodo noſtrâ diſcimus, quæ ſymptomata urgentia ad ſe curationem trahere dicit, cùm *ingentiori ante omnia ſit occurrendum*. Et hoc vult Galenus quando c. v. libri noſtri ait: *Statim ergò dolor mitigandus & calor auferendus eſt in parte attrahente*. Quibus verbis & hoc innuere videtur, à dolorem ſedantibus auſpicandam eſſe Inflammationum curationem. Dicit enim *ſtatim dolor mitigandus eſt*.

Sed hæc verba neceſſe eſt ut conferamꝰ cum ijs, quæ legū-

tur

tur c.XI. ejuſdem libri: ὑποκείσθω τοίνυν, inquit, ἧπαρ ἀρχόμενον φλεγμαίνειν, καὶ ζητείσθω τίς ἀρίστη θεραπεία γενήσεται τοῦ πάθους. ἐπισκέπτου δὴ πρῶτον μὲν ἁπάντων ἀφ᾽ ὧν εἶπον ὁρμώμενος, εἰ δεῖται κενώσεως τὸ πᾶν σῶμα, κἂν εὕρῃς δεόμενον, ἐφεξῆς σκέπτου τὴν ῥώμην τοῦ κάμνοντος, εἰ δύναται κένωσιν ἀθρόαν ἐνεγκεῖν. ἀντισπαστέον οὖν ἅμα καὶ κενωτέον τὸ φερόμενον ἐπὶ τὸ ἧπαρ αἷμα. i. e. *Proponatur, jecur jam phlegmonem contrahere cœpiſſe, tum quænam mali ejus commodiſſima ſit curatio, quæratur. Omnium ergò primum ab iis, quæ retuli, incipiens, an totum corpus inanitione indigeat, conſiderabis. Quodſi indigere inveneris, mox ægri virtutem æſtimabis, poſſitne ſemel juſtam vacuationē tolerare. Ergò pariter tùm revellendus tùm educendus qui ad jecur fluit ſanguis eſt.* Sicuti ergò ſuprà à doloris mitigatione, ita hic ab evacuatione curationis initium ducere præcipit.

Pro conciliatione duo notanda. 1. Galenum loco poſteriori loqui de Inflammatione incipiente, ubi dolor nondum adeò acerbus eſt, ut ſymptomatis urgentis rationem habeat. 2. dolorem dupliciter poſſe mitigari, quatenus ſcilicet aut cauſa illius tollitur, & tum ſecabimus venam quando doloris cauſa eſt plethora, vel revellemus in diverſum, vel derivabimus per propinqua, ut habet Gal. l. XII. M. M. c. VIII. aut quatenus relictâ causâ dolorem mitigamus. Illum modum adhibemus quando cauſa doloris patet, & dolor concedit inducias; hunc quando urget. Et hoc ipſe Gal. l. XII. M. M. c. VII. docet inquiens: *Ergo ſi cauſam ipſam, unde dolor excitatur, adimere poſſis, ita utique contra ſymptoma non pugnaveris ſed ægritudinem curaveris: ſed ſi quâ occaſione prohibitus, affectui ſubmovendo intentum eſſe non licet, vehementiam doloris mitigabis.* Ergò rectè dixit Galenus, à doloris mitigatione, ſive priori ſivè poſteriori modo fiat, auſpicandam eſſe Inflammationis curationem.

Quando itaque Hepar Phlegmone laborat, prima medentis ſollicitudo ſit, dolorem auferre; hujus verò duplex cura erit, eradicativa nempè & palliativa; quarum tamen utramque ſimul obſervari poſſe non dubito: nam & eâdem hora venam ſecare & loco affecto applicare anodyna ecquid vetat? Topica tamen niſi præmiſſis univerſalibus adhibere non decet: ut loquitur in Regulis Methodus noſtra: & hinc eradicativam ſemper præmittendam eſſe diſcimus. Quia verò materia interdum nimis copioſa eſt & vires proſtratæ, ut ſemel juſtam vacuationem ægrotus ferre nequeat, l. XIII. c. XI. M. M. ſed κατ' ἐπίκρασιν humores ſint educendi, hæc verò temporis tractum requirat, conſultum eſſe reputo, in Hepatis Inflammatione pura primò ſecare venam, ſed ita ut inſimul fiat revulſio, (de qua poſtmodum ſum dicturus,) vel ſi vires id non permittant applicare hirudines, aut cucurbitulas cum ſcarificatione, & ſtatim loco affecto adhibere, quæ etſi doloris cauſam non tollant, ipſum tamen dolorem leniant, idque continuare tamdiu, donec à dolore non ſit metuendum ampliùs.

Et quod de hepatis inflammatione dixi, idem de qualibet valet, modò indicationes à locis affectis & contraindicationes, quas Methodus noſtra ſuppeditat, non negligantur. Nam poſſumus v. g. dolorem mitigare hapsô lanæ ex calente oleo imbuto, teſte Gal. l. XIII. c. V. Oculis verò inflammatis tale quid applicare non licet, quia oculi non tolerant olea, ut ex c. XII. libri ejuſdem conſtat. Quando itaque dolor requirit anodyna; tunc & olea indicat, quæ talem virtutem obtinent. Oculi verò ſunt contraindicantia oleorum, ut ex Tabula noſtra adparet, ergò ea non debent oculis inflam-

matis

matis applicari. Hæc ergo & ſimilia quum ex generali methodo diſcimus, non opus ſanè eſt peculiariter ophthalmiæ curationem tradere & ſic entia præter neceſſitatem multiplicare.

Quod tandem ad medicamenta attinet, eorum conſideranda & materia & formulæ. Quæ dolorem abſumendo illius cauſas curant, hic attingere nil attinet, quia è ſuis petuntur locis: quæ verò mitigant dolorem relictâ cauſa, illa ex Galeno haurire forſan difficile fuerit; quia ipſemet apertè fatetur l.xiv.M.M.c.1. ſe in præcedenti libro methodum curandi inflammationes deſcripſiſſe, *nequaquam tamen auxiliorum materiam niſi tantùm exempli gratia*; & c.xvi. noſtri libri ſola methodo ſe contentum eſſe, & commemorare tantùm proprias cujuſque morbi indicationes, cùm *materia & facultas medicamentorum alibi ſint explicata*, apertè ſcribit. Nos ergò quæ adhiberi hodiè à Practicis ad mitigandum dolorem ſolent, pauca referemus, è quibus pro cujuslibet arbitrio varia præparari compoſita poſſunt. Tollunt verò dolorem Radices alth. lil. alb. malv. Fol. ſambuc. violar. linar. aneth. Fl. chamæmel. melilot. verbaſci, Sem. lin. fœnugr. tritic. Crocus, Butyrum recens, axungia porci, human. anſerin. œſypus, mucilago ſem. alth. fœnugr. pſyll. Ol. lumbricor. roſar. chamomill. amygd. d. lil. ſem. lin. &c. quæ tamen omnia, non citra partis laborantis conſiderationem, ex Generali methodô noſtra petendam, adhibeantur. Nam Hepati Inflammato talia conveniunt ratione doloris, quem demulcent; ſed ab ipſo Hepate tanquā loco affecto ægrè feruntur, quia tonum ipſius laxant. Ideoque prudenter monet Galenus viſcus hoc mediocriter eſſe adſtringendum, & rectè Attalum reprehendit, quod Theageni Philoſopho Cynico hepatis inflammatione labo-

ranti mera & ſola relaxantia adhibuerit, l. XIII. c. XV. Et hinc autor ſum, ut illis dolorem mitigantibus ſemper adſtringentia in Hepatis Inflammatione addantur; & in reliquarum partium Phlegmone curanda, præter Indicationes à morbo illiuſque cauſis, & illæ conſiderentur ſedulò, quas locus affectus ſuppeditat, & examinentur ſimul, juxta methodum noſtram, Contraindicationes.

Formulæ tandem præſcribendi indicata remedia ſunt variæ: poſſunt enim præſcribi epithemata, unguenta, cataplaſmata, olea, clyſteres &c. pro lubitu & ipſius ægrotantis, & Medici. Adderem nonnullas, niſi parcendum eſſet chartæ, & unicô remediô diverſis ſatisfieri Indicationibus poſſet. Decrevi itaque, ſi Indicationes, quas ſupra commemoravi, omnes perluſtravero, aliquot formulas adjicere, ad quarum normam plures componi poſſunt.

Antequam vero ab Anodynis abeam, duo ſunt monenda. (1) Cerata & Cataplaſmata nimium craſſa ob ponderoſitatem ſuam minus convenire, quod ex contraindicationum Tabula diſcimus, ubi à dolore ea non admitti dicitur. (2) ad fortiora anodyna, quæ rectius narcotica dicuntur, ut ſunt hyoſcyamus, mandragora, cicuta &c. tranſcundum quidem ſi dolor urgeat; id autem non niſi parcius & extremâ urgente neceſſitate faciendum, quia non cuilibet affectui ſed εἰς τὰ ἔσχατα νοσήματα αἱ ἔσχαται θεραπεῖαι εἰς ἀκριβείην κράτισται &c. l. I. Aph. VI.

Tandem, quia ex Indicationibus à loco affecto & hæc eſt; Hepar requirit Hepatica i. e. talia medicamenta quæ ratione occultæ cujuſdam proprietatis Hepati ſunt dicata; ideò non ſolùm anodynis iſtis, ſed & reliquis in hoc affectu adhibendis ſemper Hepatica ſunt admiſcenda, methodô noſtrâ ſic jubente. Et ſimiliter

ter in oculorum & aliarum partium Inflammatione procedendum eſſe nemo dubitabit.

Altera Indicatio eſt hæc: *Locus affectus eſt, refrigerandus & per adſtringentia corroborandus.* Verſamur ſcilicet in hypotheſi, & agimus de Inflammatione Hepatis, & proinde adſtringentium mentionem facimus: quia in noſtrâ methodo talem deprehendimus regulam: *In quolibet morbo locus affectus eſt roborandus.* Cum ergo Hepar ſit locus affectus, hinc etiam erit roborandum; quia verò robur ipſius in adſtrictione conſiſtit, meritò adſtringentium habetur ratio, & nunquam ſunt negligenda. ſivè in ἀρχῇ ſit Inflammatio, ſivè αὐξήσει, ſivè ἀκμῇ, ſivè παρακμῇ, ſic docente Gal. c. XVI. noſtri libri. Et hoc in qualibet Inflammatione obſervandum, adeò ut ſemper locus affectus per appropriata confortetur, quicunque is tandem fuerit.

Refrigerantia ipſe morbus indicat: hoc ex Tab. I. noſtræ methodi diſcimus, ubi intemperiem calidam alterantia contraria requirere animadvertimus. Fundamentum hujus rei canon iſte: *Contraria per contraria tolluntur*, ſuppeditat: cùm enim morbus debeat expelli, expulſio verò non fiat à ſimili, hinc neceſſariò contrarium indicabit: & propterea rectè Gal. l. artis parvæ c. I. τὰ ἐναντία τῶν ἐναντίων ἰάματά ἐστι. Jam verò caliditati opponitur frigiditas, Ergò & morbo calido refrigerantia deberi remedia manifeſtum eſt. Fiat jam applicatio: Inflammatio eſt morbus calidus, Ergò & Inflammatio requiret medicamenta refrigerantia; & hoc eſt quod erat demonſtrandum.

Hæc verò ſententia tantùm abeſt ut cùm Galeni

pugnet, ut ab ea potius corroboretur. Ita enim Galenus c. VIII. libri noſtri: ἐπὶ τοίνυν τῆς φλεγμονῆς εἰς τοσοῦτον ψυκτέον ἐστὶν, εἰς ὅσον ἐκκόψαι τε καὶ κωλῦσαι τὴν αὔξησιν αὐτῆς συμφέρει· καὶ γὰρ ὀδυνώσης τῆς πλέονος θερμασίας, καί τι καὶ πρὸς τὸ πεπονθὸς ἑλκούσης, ἐξ ἀμφοῖν αὐξάνεσθαι συμβαίνει τὴν φλεγμονήν. ὅσον μὲν οὖν ὡς θερμῷ νοσήματι τῇ φλεγμονῇ τῆς ψύξεως ἁρμόττει, τοῦτο κωλυτικόν ἐστι τῆς αὐξήσεως. ὡσαύτως δὲ καὶ καθ' ὅσον ἀναστέλλει τὸ ἐπιῤῥέον. h. e. *In phlegmone igitur tantiſper eſt refrigerandum, quatenus & ad incrementum ejus ſiſtendum inhibendumq; eſt commodum. Etenim cum immoderatus calor dolorem excitet atq; etiam aliquid ad ægram partem attrahat, utroq; nomine augeſcere phlegmonem accidit. Ergò quantum refrigerationis Phlegmonæ, ceu calido morbo congruit, tantum certè & incrementum ejus inhibere est aptum. Idem parem gratiam præſtat & cùm repercutit, id quod affluit.* Videlicet Galenus in hoc capite agit de Indicationibus quæ ab ipſo morbo deſumuntur: quemadmodum ergò morbus ſimplex ſimplicem tantùm indicationem habet; ita morbi compoſiti compoſita quoque erit indicatio. At Phlegmone eſt morbus compoſitus, ſc. ex auctâ magnitudine & intemperie; quia *duplici ratione à natura receſſit*, ὅτι πεπλήρωται τὸ μόριον αἵματος πολλοῦ, καὶ ὅτι θερμότερον ἐστί. h. e. *quod pars ipſa multo ſanguine ſit referta & quod eadem ſit calidior*, ut ab initio hujus capitis inquit Galenus. Ergò & duplicem indicationem ſuppeditabit, quarum altera ab intemperie, altera ab aucta magnitudine oritur: hæc evacuationem indicat; illa refrigerationem: ſed ὁ τῆς κενώσεως σκοπὸς ἐπικρατεῖ μᾶλλον τοῦ τῆς ἐμψύξεως, *vacuationis indicatio refrigerationis indicationem vincit*, quia ſcilicet magis urget, (nam propterea differt Eryſipelatis curatio à curatione Phlegmones, quod ſicuti

ſicutiin hac vacuationis, ita in illa refrigerationis indicatio præferenda,) & evacuato ſanguine ſua ſponte intemperies ceſſabit, utpote quæ ab illo fovetur: ergò utique potiores partes evacuationi non refrigerationi debentur, inquit Galenus. Interim tamen non negligenda refrigerantia, quia 1. ſunt indicatum ipſius morbi; hoc iſta verba innuunt: ἔσιν μὲν ἦν ὡς θερμῷ νοσήματι τῇ φλεγμονῇ τῆς ψύξεως ἁρμόττει, &c. 2. quia incrementum Inflammationis prohibent, dum refrigerando cauſam doloris ſc. intemperiem calidam auferunt, & conſequenter nimium ſanguinis affluxum, qui ob dolorem contingit, cum dolor continuò attrahat, impediunt. Hoc vult Galenus quando ait: καὶ γὰρ ὀδυνώσης τῆς πλέονος θερμασίας καί τι καὶ πρὸς τὸ πεπονθὸς ἑλκούσης, ἐξ ἀμφοῖν αὐξάνεσθαι συμβαίνει τὴν φλεγμονήν. ἴσον μὲν οὖν ὡς θερμῷ νοσήματι τῇ φλεγμονῇ τῆς ψύξεως ἁρμόττει, οὕτω κωλυτικόν ἐστι τῆς αὐξήσεως. 3. quia affluentem ſanguinem repellunt: hoc Galenus vult quando dicit: *Idem* (ſcil. refrigerare) *parem gratiam præſtat & cum repercutit* (ἀναστέλλει i. e. reprimit, remittit) *id quod affluit.* Satis igitur demonſtravi indicationum ex Methodo mea depromptarum alteri optime convenire cum Galeno. Et hactenùs benè.

Si verò Caliditas eſſet tantùm ſymptoma Inflammationis, ſequeretur eam nec indicare nec refrigerantia ſibi depoſcere, ſiquidem noſtra methodus obſervanda. Sunt equidem nonnulli quibus hæc ſententia non diſplicet, dum Inflammationis eſſentiam ſufficienter ſe expreſſiſſe arbitrantur, ſi φλεγμονὴν per Tumorem definiant, ortum è ſanguine, cujus poſtmodum ſymptoma ſit calor. Et diffiteri nequeo, cauſam hujus Intemperiei calidæ eſſe ſanguinem, quia hanc ſententiam ſuprà ſum pro-

profeſſus. An verò hinc concludendum; Intemperiem calidam eſſe ſanguinis ſymptoma, id cuilibet eruditorum ruminandum relinquo. Mihi ſanè non videtur firma eſſe conſequentia, quia hac ratione nullos haberemus morbos ſed pura ſymptomata. Cùm enim morbus ſit διάθεσις τῶν μορίων παρὰ φύσιν lædens actiones, utique habebit ſuas cauſas. At omnis cauſa præcedit, ſicuti effectus ſequitur. Ergò & ipſi morbi ante ſe habebunt ſuas cauſas. Si ergò ita argumentari licet: *quicquid cauſas morbificas ſequitur illud eſt ſymptoma*; ſubſumerem de morbis, & ita concluderem: *ergo morbus eſt ſymptoma*; quod ἄπιστον eſt καὶ ἄλογον.

Dum verò hæc dico, & illud monendum, Symptomatis vocabulum non adeò generaliter uſurpari, ut quemlibet affectum p. n. ſub ambitu ſuo complectatur, quia hac ratione utique morbi erunt ſymptomata, Gal. de diff. ſympt. c. 1. & 2. ſed ſtrictè pro eo quod quidem p. n. eſt, ita tamen ut neque morbus ſit neque morbi cauſa, ſed hæc veluti umbra corpus inſequatur: nam à cauſa morbifica differt, quod illa morbum præcedat, ſymptoma verò ſequatur; ab ipſo morbo, quod non lædat actiones, ſicuti morbus facere conſuevit. Hinc ita argumentor: quicquid lædit actiones, illud non eſt ſymptoma. Atqui intemperies calida in Phlegmone lædit actiones, E. non erit ſymptoma. 2. quicquid eſt conſtitutio partium p.n. illud non eſt ſymptoma, quia ſymptoma iſtam conſtitutionem inſequitur: atqui intemperies calidâ eſt conſtitutio partium p. n. E. non eſt ſymptoma.

Et hinc miror eò abſurditatis nonnullos progredi, ut ſymptomaticam conſtituere Inflammationem haut vereantur. Quæ vulneri ſupervenit Inflammatio, uſitatè

loquendo

loquendo non eſt ſymptoma, quia revera eſt conſtitutio partium p. n. revera etiam actiones lædit, ſed eſt morbus qui alium morbum ſequitur: nam *ſubinde morbus è morbo naſcitur*, inquit Gal. l. 1. de differ. morb. c. VII. Sed ταῦτα μὲν ὡς ἐν παρόδῳ.

Deinde falſum eſt Inflammationem per Tumorem poſſe definiri: quia inflammatio eſt morbus compoſitus ex duobus alijs morbis, ſc. ex intemperie calida & aucta magnitudine, ut ex Gal. c. VIII. libri XIII. probavimus. Tumor autem eſt unus tantùm morbus, nec ſub ſe continet intemperiem calidam, quæ ab inflammatione non poteſt ſegregari. Quomodo ergò Tumor poteſt eſſe genus Inflammationis, ſi inflammatio præter auctam magnitudinem, quæ Tumoris eſſentiam abſolvit, & intemperiem calidam denotat? Hinc ita argumentor:

Nullus morbus ſimplex poteſt eſſe genus morbi compoſiti. At *Tumor eſt morbus ſimplex.* E. *Tumor non poteſt eſſe genus morbi compoſiti.* Ergò *nec inflammationis, quia inflammatio eſt morbus compoſitus.*

Adeoque falſum eſt Inflammationis eſſentiam abſolvi Tumore; falſum quoque eſt intemperiem calidam eſſe ſanguinis ſymptoma: quæ tamen duo ſuperius tacta opinio pro fundamentis ſupponebat.

Meritò itaque refrigerantia ab inflammatione indicari diximus. Et hoc non ſolùm in Hepatis ſed cujuslibet partis inflammatione verum eſt: modò, quod ſæpius dixi, ab ipſis partibus indicationes non negligantur. Sed manebimus in exemplo.

Quando itaque in Hepatis inflammatione ab ipſo affectu indicantur frigida, ea & internè & externè ſivè hâc ſivè illâ formâ adhiberi poſſe intelliguntur. Hic ergò

ne impingamus 1. quid locus affectus indicet conſiderandum, 2. evolvenda de contraindicationibus refrigerantium ut & formularum Tabula, & 3. Regulæ tàm morbi quàm loci affecti ipſorumque topicorum & contraindicationum ſi opus percurrendæ erunt. Hepar autem juxta Tabulam noſtram indicat 1. refrigerantia appropriata eſſe debere ſc. Hepatica; qualia ſunt acetoſa, acetoſella, cichor. endiv. taraxac. portulac. plantag. ros. viol. ſem. hord. cucumer. papav. 4. frigid. major. rad. fragar. acetoſ. taraxac. &c. Et hoc imitari poſſumus in cerebri inflammatione, ubi refrigerantia cephalica adhibemus, & in inflammationibus reliquis, &c.

Hic autem B. L. duo notet velim. (1) iſta non eſſe adhibenda ratione refrigerationis: nam hoc modo unum idemque refrigerans & cerebrum & cor & pulmones & alias partes quas tangit refrigerandi virtutem obtinet, nec quod hepar refrigerat, caput calefaciet, ſi eidem admoveatur. Sed propterea in ijs haberi delectum, ut ad locum affectum perveniant, eundemque roborent. Vt enim certæ ſunt res, quæ cum certis corporis noſtri partibus ἀντιπαθείας fovent; ſic venenum tarantulæ cerebro inimicum eſt, & cantharides infeſtant veſicam; ita quoque medicamentorum quædam cum cerebro vel corde vel hepate præ reliquis συμπάθειαν fovere, cùm maximè experientia conſentiat, credibile duco: & quemadmodum cantharides ſi aſſumantur ad veſicam properant, eamq; lædunt, ita quoq; bezoar lapidem ad cor illud confortatum properare nullus dubito. (2) ſi nequeant ex frigidis reperiri huic vel illi parti in ſpecie dicata, admiſceri poſſe frigidis vulgaribus calidum aliquid v. g. cerebro dicatum in inflammatione cerebri; quia hoc

ipſum

ipſum refrigerantia, cooperante tamen naturâ, ad locum affectum perducet, illumque confortabit. Sed exigua illius doſis ſufficit ut, quam habet, caliditas à refrigerantibus ſuperetur.

2. Indicat Hepar refrigerantia in 4. gradu non eſſe adhibenda: ratio petitur ex Regula illa: *cujuslibet partis temperamentũ eſt ſervandum*; quia indiget eo ad edendas ſuas actiones: & maximè hoc locum in hepate obtinet, quia, ſivè officina ſanguificationis ſit ſivè non, ſuum tamen idque haut exiguum ἐπιβάλλον μέρος ad αἱματοποίησιν confert. Sic planè ad eum modum ſi cerebrum eſſet inflammatum, ipſius indicationes è Tabula noſtra colligerem, & ſic in reliquis.

3. Indicat Hepar refrigerantia tepidè applicanda eſſe, quia dici non poteſt, quomodo actu frigidorum occurſu hoc viſcus lædatur. Quod ad contraindicationes refrigerantium attinet, deprehendo ibi hanc: Hepar non admittere actu frigida; ſed hæc controverſia jam ſupra eſt compoſita. Formas remediorum ferè quaslibet admittit hepar, præter cerata & emplaſtra, quæ dolore preſſum non commodè tolerat.

Regulæ v. g. tales ſunt: *qui plurimum à ſtatu naturali diſtat morbus vehementioribus eget remedijs.* Si ergò Phlegmone ſit ingens, fortiora etiam alterantia requirit. Non tamen facilè ad ea, quæ in 4. gradu frigida ſunt, adſcendendum, quia indicatio à loco affecto deſumpta eſt præſtantior. Et hinc verificatur quæ de contraindicationibus eſt regula: *Indicationibus ſibi invicem repugnantibus eligenda eſt præſtantior.* A loco

affecto regulæ ſunt ſequentes : *Pars in profundo ſita fortius requirit remedium & tale quod poteſt penetrare.* Hinc facta applicatione noſti, epithematibus refrigerantibus aliquid aceti vel camphoræ &c. admiſcendum eſſe, ut eò facilius penetret earum virtus, unde Galenus : *quæ* (ſcil. Inflammationes vel partes) *in alto ſunt corpore cum proprijs phlegmones remedijs aliquid acrium medicamentorum requirunt,* c. XIX. Melius autem eſt ipſi Hepatis regioni applicare alterantia, quàm ad Hepar directa ore aſſumere, juxta alteram regulam noſtram: *Quando per varias vias medicamentum ad locum affectum pervenire poteſt eligenda eſt proxima.* Atque ſic de altera quoque Indicatione dixi; reliquas ad ſequentia usque capita reſervaturus.

CAPUT VI.

ARGUMENTUM.

1. *Remedia non ſunt adhibenda citra indicationes.* 2. *ſanguinis copia eſt tollenda.* 3. *ſanguis tripliciter eſt Phlegmones cauſa.* 4. *ſanguis parti impactus & corruptus eſt proxima Inflammationis cauſa.* 5. *cauſa antecedens & continens ſunt plerumque ejusdem naturæ.* 6. *idem humor & cauſa continens eſt & antecedens non rarò.* 7. *quomodo cauſa antecedens fieri poſſit continens.* 8. *ſanguis in venis contentus & qui adhuc circulatur nullam producit Inflammationem.* 9. *Plethora eſt Phlegmones cauſa antecedens.* 10. *ſanguis eſt cauſa procatarctica Inflammationis.* 11. *an cauſæ procatarcticæ neceſſariò externæ ſint.* 12. *cauſa procatarctica non poteſt eſſe cauſa proxima.* 13. *quæ ſit cauſa procatarctica.* 14. *Vena eſt ſecanda.* 15. *Revulſio & Derivatio non poſſunt unica Venæſectione inſtitui.* 16. *V. S. non admittunt vires debiles.* 17. *Vires ſemper ſunt conſervandæ.* 18. *Vires ob plethoram debiles requirunt V. S.* 19. *non facile ad animi deliquium usq; mittendus ſanguis.* 20. *V. S. prohibet ætas tenerrima & ſenectus cruda, item geſtatio*

fœtus

fœtus in utero, &c. 21. *ſuppreſsio menſium eſt ſignum conceptionis.* 22. *an gravidæ Inflammationem membranarum cerebri patienti venam ſecare liceat?* 23. *cucurbitulæ ſunt V. S. vicariæ.* 24. *non debent applicari cruribus in gravidis.* 25. *quomodo adminiſtranda V. S. in gravidis.* 26. *quæ vena ſecanda in Inflammationibus.* 27. *quæ ſint conditiones revulſionis.* 28. *Revulſionem Hippocr. invenit.* 29. *qualis contrarietas ſit obſervanda.* 30. *quomodo revulſio à derivatione differat.* 31. *minus tuta eſt Derivatio non præmiſſa revulſione.* 32. *an vena ſecanda communis eſſe debeat cum loco affecto?* 33. *quomodo hæmorrhagia uteri compeſcenda.* 34. *quid ſit revulſio.* 35. *oppoſitio diametralis non ſufficit ad revulſionem.* 36. *oppoſitio perpendicularis ad revulſionem requiritur.* 37. *quid de venarum delectu notandum.* 38. *pluribus modis ſanguinis copia poteſt minui & quæ circa illos notanda.* 39. *an per exſiccantia ſanguinis copia ſit auferenda?* 40. *an menſes ſint movendi & quomodo in Inflammatione?* 41. *an motus ſit imperandus pro minuendo ſanguine?*

REctè inquit Gal. l. II. M. M c. VII. *Omnis medendi methodus per Indicationem fit*; nam ſolæ Indicationes quid agendum ſit monſtrant. Hinc luce meridianâ clarius eſt, nunquam felicius adhiberi remedia niſi quando indicentur, & fruſtra fore qui ſecaverit venam nec plethorâ nec aliô ex Indicantibus præſente. Adeò nihil moliendum eſt in corpore humano, cujus te ſucceſſu temporis pœnitere queat. Cùm igitur tertia Indicationum noſtrarum ſit hæc : *Sanguinis copia eſt tollenda*; non abs re me facturum confido, ſi neceſſitatem ejus palàm fecero. Oritur nimirum Phlegmone ex αἵματος ἐπιῤῥοῆς πλείονος ἢ ὅσου δεῖται τὸ μέρος, *ex confluxu ſanguinis copioſioris quàm pars poſtulat*, teſte Gal. l. XIII. c. III. M. M.

Sanguis autem tripliciter rationem cauſæ obtinet. 1. quatenus parti eſt impactus. 2. quatenus in venis copioſius hæret. 3. quatenus facultatem expultricem ſtimulat.

Priori modô erit cauſa continens; altero cauſa antecedens; & tertio cauſa procatarctica. Nam *quicquid morbum excitat illud eſt morbi cauſa*, inquit Galenus l. 11. M. M. c. 1. At ſanguis Inflammationem excitat, quia ex ejus confluxu oritur Phlegmone, ut ex Galeno diximus. Ergò etiam ſanguis eſt Phlegmones cauſa. Porrò quæcunque cauſa morbo in corpore proximè adhæret, eumque fovet, & quâ poſitâ morbus ponitur, ablatâ verò tollitur, illa eſt cauſa continens. At ſanguis parti alicui impactus & corruptus Inflammationi in corpore proximè adhæret, eamque fovet, & poſitô eo ponitur Inflammatio, ſicuti ablatô tollitur. E. ſanguis parti impactus & corruptus eſt Inflammationis cauſa continens. Et hoc erat primum.

Deinde cauſa antecedens dicitur illa, quæ morbum quidem nondum producit nec fovet, ita tamen comparata eſt, ut ex ea oriri poſſit morbus, maximè ſi à cauſis procatarcticis moveatur: & cùm hæc ipſa fieri poſſit cauſa proxima & continens, ejusdem quoque naturæ erit. Sic obſtructio eſt morbus organicus, cujus cauſa continens poteſt eſſe humor pituitoſus & viſcidus in vaſis contentus; antecedens cauſa eſt eadem pituita antequam ad vaſa illa perveniat. Ergò eadem cauſa & antecedens eſt & continens, prout vel actu vel potentia efficiendi definitur, & prout cum ipſo morbo cohæret vel eum præcedit. Hic verò aliqua differentia ſubeſt; nam interdum absque ulla mutatione eadem cauſa quæ heri erat antecedens, hodiè fit continens, v. g. quando pituita è cerebro ad ventriculum deſcendit & intemperiem ipſi frigidam inducit: interdum verò ut cauſa continens fiat prius alteretur neceſſe eſt. Sic cauſa continens abſceſſus

ceſſus pus eſſe dicitur; cauſa antecedens eſt ſanguis: quantum ergò differt pus à ſanguine, tanta eſt facta alteratio in commutatione cauſæ antecedentis in cauſam continentem. Et hoc eſt quod Philoſophi innuunt, quando materiam duplicem faciunt, tranſeuntem ſcilicet & permanentem.

Hæ verò conditiones omnes competunt ſanguini ratione Inflammationis conſiderato. Nam iſte ſanguis, qui copioſus eſt in venis, quamdiu ibi manet & circulatur, nullam Inflammationem producit; quia alias plethorici omnes Phlegmone laborarent, quod abſurdum. Interim tamen ex iſto ſanguine poteſt fieri Inflammatio, quatenus nimirum agitatur iſte, & impetuosè ad partem fertur, è vaſis excidit & corrumpitur: ecquis ergò *αἴτιον προηγούμενον τῆς Φλεγμονῆς* Plethoram eſſe neget? Accedit & altera ratio, quam ſuprà dedi, nimirum ſi Inflammationis cauſa proxima eſt ſanguis, probabile eſt, & antecedentem ipſius cauſam ſanguinem eſſe, quamvis alio modo. Hæc autem argumentandi ratio non procedit, ubi cauſæ degenerant in cauſas per transmutationem, ut ſuprà monui. Sed hæc obiter.

Tandem & illud probandum, ſanguinem eſſe Inflammationis cauſam procatarcticam: quod facile fieri poterit, ſi formalem hujus cauſæ rationem ad unguem tenuerimus. Trincavellius cauſas, quarum proventus extrinſecus eſt, & quæ occaſionem extrinſecam habent, procatarcticas vocat, Epiſt. Med. x f. DCCLXV. In eo autem videtur ſequi Galenum, qui evidentes cauſas extrinſecus advenientes propriè procatarcticas à Medicis vocari ſcribit l. VI. de loc. aff. c. IV. & l. III. de præcogn. ex pulſ. Et hac ratione ſanguis non poteſt eſſe cauſa pro-

catarctica

catarctica, quia interna eſt. Sed ignoſcat mihi Galenus, ſi ipſi contradicam. Non valet conſequentia: Hæc cauſa evidens eſt, & ab extra advenit, Ergò eſt cauſa procatarctica. Nam quando aliquis vulneratur, tunc ictus gladij & evidens cauſa eſt & externa; non tamen poteſt dici cauſa procatarctica, quia nulla cauſa procatarctica poteſt eſſe cauſa proxima; nam cauſa procatarctica movet antecedentem, ut cauſa proxima fiat, Ergò ipſa non eſt cauſa proxima. At verò ictus gladij eſt cauſa proxima vulneris, quia inter eum & vulnus nulla alia intercedit. Ergò ictus gladij non poteſt eſſe cauſa procatarctica, & tamen eſt cauſa externa. Et propterea falſum eſt cauſæ procatarcticæ formalem rationem in eo conſiſtere, ut & evidens ſit & externa. Erit itaque cauſa procatarctica, quæ antecedentem movet, ut cauſa proxima fiat, ſivè jam in corpore ſit ſivè extra corpus. Quia ergò ſanguis ratione copiæ ſuæ, affluxus cauſa eſt, dum facultatem expultricem ſtimulat; meritò etiam cauſis procatarcticis erit accenſendus.

Si itaque ſanguis & cauſa continens & antecedens & procatarctica inflammationis ratione copiæ ſuæ eſt, contraria autem per contraria ſunt tollenda, plenitudini evacuationem deberi nemo dubitabit. *Cogimur ergò aliàs ſanguinem mittere, idque aut vena inciſa, aut membris ijs quæ læſa non ſunt ſcarificatis &c. Has namque vacuationes indicat ipſa plenitudo*, inquit Gal. l. XIII. c. V. Et ex Methodo noſtrâ idem diſcimus: hæc enim morborum cauſas auferendas eſſe dicit; cum ergò copia ſanguinis ſit Phlegmones cauſa, ergo & ea erit minuenda: quod qua ratione fieri debeat, ibidem explicatur.

Scilicet ex triplici fonte auxilia deſumuntur, Chirurgi-

Chirurgico nempe Pharmaceutico & Diætetico. Ille primò Venæſectionem ſuadet. Quemadmodum enim à Cacochymia Purgatio; ita à Plethora Venæſectio indicatur. Quia autem vena non ſolùm ratione evacuationis, ſed revulſionis quoque & derivationis ſecatur, adeoque unâ fideliâ, ut dici ſolet, duo dealbari parietes poſſunt; quæ aliàs de Revulſione & Derivatione fuiſſent ſeorſim dicenda, hic quodammodo jungemus, ne de loco ubi inſtituenda Venæſectio Chirurgus dubitet. Evacuatio itaque & Revulſio vel Derivatio unica Phlebotomia peragi poſſunt, 13. M. M. c. XI: Revulſio verò & Derivatio non item.

Quando igitur jam animus eſt, & nimiam ſanguinis copiam minuere, & ſanguinem inſimul revellere, quò minus is qui in fluxu eſt, ad partem affectam perveniat, ne in methodum impingamus, tàm de Venæſectione quàm Revulſione evolvendæ ſunt Regulæ, & ſi quas habent Contraindicationes.

Quod ad Venæſectionem attinet, non admittitur ea, quando vires ægrotantis fractæ ſunt atque proſtratæ: ut enim generoſa remedia nunquam operantur ſine aliquâ noxâ; ita vel maximè de Venæſectione hoc ipſum verificatur. Nam eo ipſo dum educit ſanguinem, fieri non poteſt quin & ſpirituum aliquid jam elaboratorum, vel materiam ex qua generari ſolent, cordi ſubtrahat & vires quodammodò infringat. Sicuti ergò Natura debilitata non amplius debilitari debet, ita cane & angue pejus fugienda tunc Venæſectio.

Et hæc doctrina eſt Galenicæ admodùm conformis; ſiquidem & ille ſanguinem ſuperfluum per Venæſectionem evacuari ſcribit l. IX. M. M. c. XI. virtutem tamen

admodum hinc debilitari, ſi paulo immoderatior fuerit, c. x. *At vires*, inquit, *ſui conſervationem ſemper requirunt*, l. xi. M. M. c. iii. *quia ex earum cuſtodia vivimus, cùm vitam aut ipſas eſſe vires aut earum actiones ſit neceſſe*, l. ix. M. M. c. xiii. Ergò Venæſectio poſtulat ſemper valentes vires, l. ix. M. M. c. xi. & hinc ubi debiles ſunt impediunt vacuantium auxiliorum uſum, l. x. M. M. c. ii.

Hic autem ſedulo notandum, vires interdum ob plethoram debilitari. Hoc Galenus docet l. ix. M. M. c. xi. his verbis: *Fit autem ſanguis naturæ inutilis bifariam, vel cum propriam qualitatem ad unguem non ſervat, vel ita multitudine crevit ut vires premat &c. Ac in his miſſio ſanguinis utilis ceu vacuantium præſidiorum unum.*

Scilicet quando à nimia ſanguinis copia obruitur virtus, tunc audacter mittendus eſt ſanguis, quia hac ratione onus naturæ, à quo premebatur, adimitur. Non tamen μέχρι λειποθυμίας facilè evacuandum eſſe cenſeo, etſi Hippocrates idipſum præceperit, quia αἱ κενώσιες, αἱ εἰς τὸ ἔσχατον ἄγουσαι, σφαλεραὶ, l. i. aph. iii. & melius eſt κατ' ἐπίκρασιν humores educere quàm una vice, ut Methodus noſtra dicit. Hinc *ad vires reſpicientes*, inquit Galenus, *aliàs ſemel aliàs bis, vel ter vel ſæpius ſanguinem detrahimus.* Et propterea rectè dicit c. xi. libri noſtri: *Quod ſi ergò indigere inveneris, mox ægri virtutem æſtimabis, poſſitne ſemel juſtam vacuationem tolerare. Primum ergò valida virtus eſto. Ab hac æſtimabis ætatem: nam ſi puer ſit, quæ per diſſectam venam fit, vacuationem non feret.*

Tangit hic Galenus alterum contraindicans Venæſectionis, nimirum ætatem. Ut enim ijs qui in extrema & cruda ſenectute ſunt conſtituti, nemo ſanus venam ſecabit, ita nec in tenerâ ætate hoc conſultum. Illud fit ob

virium

virium imbecillitatem, de qua hactenus locuti ſumus; hoc verò ob πλεῖστον τὸ ἔμφυτον θερμὸν quod pueri habent juxta Hipp. l. I. Aph. XIV. Cùm ergò ob illud ipſum magis ſint nutriendi, nutritio verò ſanguinem præſupponat, hinc & copioſum ſanguinis proventum in pueris eſſe procurandum apparet. Si verò hoc; ſua ſponte liquet illum, qui in tenera ætate eſt ſanguis, per Phlebotomiam non eſſe educendum. Unde Galenus ait: *ſi in puerum incidat* (ſc. febris) *qui quartum decimum annum hactenus non attigit mitti illi ſanguis non debebit, propterea quod tantillis, cum præſertim calidi & humidi ſint, plurimum corporis ſubſtantiæ quotidiè defluat ac digeratur,* l. XI. M.M. c. XIV. quamvis ille ætatis terminus non ſemper obſervandus.

Sed & plura Venæſectionis contraindicantia ſunt, v. g. propenſio ad lipothymiam, Inſuetudo l. XIII. M. M. c. XI. Humores crudi & inconcocti l. XI. M. M. c. XIV. & l. XIII. c. XXI. anni tempus vel regio in quâ ſit extremus calor aut frigus, ibid. & l. IX. M. M. c. XVII. Quibus & illud tempus addo, quo geſtatur fœtus in utero. Nam gravidis, niſi maxima urgeat plethora, quod rariſſimè fit, non ſecanda eſt vena: ratio eſt hæc, quia γυνὴ ἐν γαστρὶ ἔχουσα φλεβοτομηθεῖσα ἐκτιτρώσκει, Hippocr. l. V. aph. XXX. Cum enim fœtus nutrimentum ſuum habeat ex ſanguine, adeò ſollicita eſt Natura de eo conſervando, ut ſanguinem, quem aliàs ſingulis menſibus expellebat, in utero retineat, ut conſervetur homo: & hinc inter ſigna conceptionis ſuppreſſio menſium refertur: ἢν γυναικὶ καθάρσιες μὴ πορεύωνται, μήτε φρίκης μήτε πυρετοῦ ἐπιγενομένου, λογίζου ταύτην ἐν γαστρὶ ἔχειν, l. V. aph. LXI. Propterea etiam mulier gravida non eſt menſtrualis; ſi verò ſit menſtrualis, non ſanum eſſe fœtum (ſc. ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ) concludit Hipp. dum expreſsè ait:

ἢν γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ αἱ καθάρσιες πορεύωνται, ἀδύνατον τὸ ἔμβρυον ὑγιαίνειν, l. v. aph. LX. quia id quô nutriri debebat fœtus evacuatur.

Suâ itaque luce radiat, nunquam eſſe ſecandam venam mulieri gravidæ, niſi admodum ſit plethorica. Si verò contingeret ejuſmodi mulierem Inflammatione e. g. membranarum cerebri corripi, quid ibi agendum? Inflammatio ſeu potius Inflammationis cauſa Venæſectionem indicat; fœtus in utero eam prohibet. Recurrendum nimirum ad Regulas de contraindicationibus, ubi talem deprehendimus: *Indicationibus ſibi invicem repugnantibus eligenda eſt quæ fortius indicat;* quia ex duobus malis minus eligendum. Aut ergò vena eſt ſecanda, ut liberetur mater, etſi fœtus occidatur; aut omittenda Venæſectio, ut ſervetur qui in utero eſt, quicquid etiam de matre fiat.

Hic ante omnia conſiderandum eſt, an nequeat tertium inveniri i. e. an Venæſectioni non aliud quid ſubſtitui poſſit, quod locum ipſius ſuppleat. De cucurbitulis novimus, quod non raro ad evacuandum ſanguinem adhibeantur, quando Venæſectioni non eſt locus: nam educunt ſanguinem abſque moleſtiâ & egregiè revellunt, unde Gal. c. XIX. libri noſtri iis membris quæ communicant cum loco affecto, cucurbitam imponi jubet *avellendi in contrarium cauſa.*

Antequam ergò ad V. S. accedamus, cucurbitulis agendum eſt, & applicandæ illæ neutiquam ad crura, quia æquè ac V. S. abortum procurarent, ſed ad brachia &c. & quidem, ſi aliqualis plethora adſit, cum ſcarificatione uſurpari poterunt: ſicuti ſine ſcarificatione, quando tan-

tùm

tùm revellere humores animus eſt. Si verò aliâ ratione conſuli Inflammationi haut poſſet, niſi per Venæſectionem; adminiſtrandam utique cenſemus, quia melior eſt dubia ſpes quàm deſperata ſalus; & melius ſervare matrem, quàm committere ut ipſius ſobolis illa fiat ſepulchrum.

Conceſsâ nunc Venæſectione evolvendæ ſunt regulæ quas Methodus noſtra de Phlebotomia ſuppeditat. Prima talis eſt: *Tantum evacuandum eſt ſanguinis, quantum & morbi vehementia requirit & vires permittunt.* In gravidis igitur parum educere convenit, ne vires illarum nimis proſternantur, & efficiatur hac ratione, ut ſuſtinendis in partu laboribus impares reddantur. Altera eſt hæc: *qualibet diei hora venam aperire licet ſi neceſſitas urgeat*: quando nimirum morbus patitur inducias, tempore matutino venam ſecare conſuevimus; verùm ſi urgeat, neceſſitas non habebit legem. Interim verò Inflammationum tempora non ſunt negligenda, ne venam ſecemus in ſtatu, & conatum naturæ hoc modo impediamus, de quo tamen in ſubſequentibus ſum dicturus. Et ad hunc modum in qualibet Phlegmone procedimus, quando Venæſectioni intenti ſumus.

Illud verò dicendum adhuc reſtat, quænam ſecari vena debeat in Inflammationibus. Fit Venæſectio, ut ſuprà dixi, non ſolùm ratione evacuationis, ſed & revulſionis, quatenus illum humorem, qui in fluxu eſt & tendit ad locum affectum, retrahimus. De ea autem tales habemus regulas. 1. *revulſio debet fieri ad partem contrariam.* 2. *ad partem remotiſſimam.* 3. *ad fluxionis principium.* Illud Hippocratis inventum eſt teſte Gal. l. v. M. M. c. III.

& approbatur à Galeno, non ſolùm hoc loco, ſed & l. IV. M. M. c. VI. & maximè l. XIII. (qui noſter eſt) c. VI. ubi *præceptum in contrarium revulſionis in omnibus commune eſſe* non ſolùm ait, ſed *ad partes quoque, quæ maximè longinquæ ſint ſemper revulſionem faciendam* præcipit.

Sed quod ad contrarietatem attinet, ita intelligi debet, ut ſanguis, qui v. g. ad brachium dextrum Inflammationem ibi facturus fluit, revocetur ad illam partem, quæ brachio dextro eſt oppoſita. Iſta autem oppoſitio ex communi ſententia duplex eſt, 1. ratione latitudinis, & ſic brachio dextro opponitur ſiniſtrum. 2. ratione longitudinis, & ſic ei opponitur crus dextrum. Quid autem hac de re judicem infra ſum dicturus.

II. Debet Revulſio fieri ad partem remotiſſimam; nam eo ipſo à Derivatione differt, in qua ſanguis ad vicina trahitur: ejuſmodi autem ſanguinis diverſio non adeò tuta eſt, quia facilè ex iſto loco, cum vicinus ſit, relabi poteſt ad eum locum, à quo nuper fuit retractus, & ſic malum recrudiſceret; tantò igitur in morbi principio melior eſt revulſio, quia hæc ſanguinem ad remotiſſimum à parte affecta locum trahit, è quo regurgitatio ipſius non timenda eſt. Iſte autem locus debet eſſe è directo, κατ' ἴξιν, hoc eſt, debet communionem habere venarum cum loco affecto.

Hoc me ſtatuere mirabuntur plerique, cum omnium ferè animis hæc ſententia inſideat, venam, quæ pro revulſione ſecatur, communem eſſe debere non cum loco affecto ſed parte mittente: neque id injuria: cum enim in revulſione hoc agendum ſit, ne pars unde oritur fluxio ad locum affectum ſanguinem mittat amplius, ſed ad

cum

eum locum, qui ab affecto eſt remotiſſimus, & eidem oppoſitus; ſequitur utique hunc ratione venarum cum parte mittente copulari, quia aliàs ab illa parte non poſſet ſanguinem ad ſe trahere: non verò cum loco affecto neceſſariò conſentit, quia non debet ſanguinem in eo contentum evacuare; hoc enim Derivationis eſt. Sed ab hac ſententia non ſum alienus, quando in loco revulſionis communionem venarum cùm loco affecto requiri ſtatuo; quia nihil aliud volo quam illius venæ, quæ pro revulſione ſecatur, & illius, quæ in loco affecto eſt, communem eſſe truncum oportere, quia aliàs ſanguinem haut poſſet ſurripere.

III. In revulſione ſanguis debet revocari ad ſuum fontem, ſeu motus principium; hoc enim propriè eſt revellere. Hujus revulſionis aliquot exempla proponit Gal. libri noſtri c. XIX. *Ad mammillas*, inquit, *cucurbitas imponimus cum ſanguis ex utero profluit*; ex Hippocrate ut ipſemet Gal. l. v. M. M. c. III. fatetur hæc ſumpſit, dicente: γυναικὶ τὰ καταμήνια ἢν βούλῃ ἐπισχεῖν, σικύην ὡς μεγίστην πρὸς τοὺς τιτθοὺς πρόσβαλλε, l. v. aph. L. Et hæc vera eſt revulſio, quia, 1. prohibet ne ſanguis amplius ad uterum confluat, 2. quia ſanguinem deducit ad partem oppoſitam, nimirum mammas. 3. quia ſanguinem ad idem principium revellit unde abierat. Sic *ſi ex naribus*, ait Galenus, *ſanguis profunditur præcordiis maximas cucurbitas affigimus*, quia ſanguinem, qui per jugulares adſcendebat, ad principium ſuum, ſcilicet cor, revocamus. Et hoc uſque adeò verum eſt, ut ſit revulſio nil aliud, quàm retractio ſanguinis ad ſuum principium.

Hinc ergò claret, oppoſitionem diametralem non conſtituere Revulſionem; quæ tamen ſententia eſt receptiſſima.

ptiſſima. Ego impræſentiarum, quia prolixiori mihi eſſe haud licet, unico ſaltem exemplo & falſitatem illius, quod vulgo doceri ſolet, & veritatem meæ aſſertionis demonſtrabo. Scilicet quando brachium ſiniſtrum Inflammatione corripitur, affluens continuò ſanguis ſui revulſionem indicat; revulſio debet avertere ſanguinem à loco affecto, ad locum oppoſitum; quæritur ergò quis iſte ſit, & ubi inſtituenda Venæſectio? Reſpondent: oppoſitio eſt duplex, 1. ratione latitudinis, & ſic in brachio dextro ſecanda vena, 2. ratione longitudinis, & ſic in cruribus lateris ejuſdem. Sed quærere liceat, utrum iſta ſit revulſio, quando laborante brachio ſiniſtro vena ſecatur in dextro? Mihi non ſit veroſimile; quia in revulſione ſanguis debet revocari ad ſuum principium; at quando ſecatur vena in brachio dextro, non revocatur ad ſuum principium videlicet truncum arteriæ magnæ, E. etiam tunc nulla ſit revulſio, licet quodammodò prohibeatur illius affluxus ad locum affectum; licet etiam ad partem, ſi latitudinem ſpectes, oppoſitam trahatur, quia hæc non exhauriunt Revulſionis naturam. Quando igitur revellendum, brachio ſiniſtró Phlegmone obſeſſo, aperienda erit vena in poplite aut malleolo, quia hac ratione ſanguis, ad ramum axillarem tendens, revellitur ad principium ſuum, ſcilicet truncum arteriæ magnæ; & revellitur ad partem contrariam, quia cum aſcenſurus eſſet deorſum rapitur, & prohibetur ne affluat ad brachium Inflammatum.

Sola igitur oppoſitio perpendicularis, ſeu ratione longitudinis, quâ ſupera opponuntur inferis, & hæc illis, in revulſione obſervanda erit. Et hoc ipſum duplex ſanguinis motus naturalis approbare videtur, dum v. g. di-

midia

midia ſanguinis è ſiniſtro cordis ventriculo egreſſi portio, per truncum aortæ adſcendentem adſcendit, & per truncum deſcendentem altera pars deorſum tendit. Quando enim ſanguis ad brachium Inflammatum properat, per adſcenſum iſte motus fiat neceſſum eſt; ſi ergò contrarius ſanguini motus conciliandus fuerit, utique laborandum, ut iſte qui adſcenſurus erat, deſcendat. Quando autem ſecatur vena brachij oppoſiti iſte adſcenſus non impeditur, quia promovetur potius, dum ratione vacui continuò ſurſum rapitur ſanguis; quod fieri non poteſt, ſi vena ſecetur in partibus quæ ſunt inferiores.

Et hæc eſt, quam de Revulſione foveo, ſententia, placidoq; eruditorum examini ſubmitto, ut veritas magis magisq; protrahatur in lucem. Nam non adeò ſtultè amabo mea, ut veroſimiliora docenti nolim cedere; novi enim quod in ſchola veritatis & vincere & vinci pulchrum ſit.

Antequam verò de Revulſionis doctrina abeam, diſſimulare nequeo, nimis interdum ſuperſtitioſè de venarum ſecandarum delectu autores ſentire. A quo nec Galenus abſtinuit, ut ex cap. XI. libri noſtri colligimus dum ait: *Illud verò, internáne an media an humeralis vena ſecanda ſit an ea quæ juxta malleolum an quæ in poplite, id verò ex laborante particula indicatur.* Quaſi verò multum referat, ſivè media ſecetur vena ſivè cephalica, cum ſint unius ejuſdemq; rami, nempè ſubclavij, propagines; ſivè jam illam tundas ſivè hanc, ex ramo ſubclavio ſanguinē educes.

Sic & perinde duco in Hepatis Inflammatione vel è dextro brachio ſubtrahi ſanguinem vel è ſiniſtro, etſi Galenus aliter ſtatuat, quod ex ijs verbis allegati c. XI. conſtat quando dicit: *Ergò pariter tùm revellendus tùm educendus qui ad jecur fluit ſanguis eſt, interna in dextro cubito*

inſecta vena: propterea quod & è regione & ampla via cum vena quæ cava dicitur, ſocietatem habet. Et paulò poſt: *ubi jecur phlegmone invadit, quæ in dextra ſunt manu* ſc. ſecandæ ſunt. Etſi enim Hepar ſit in hypochondrio dextro, propterea tamen non major fit revulſio, ſi in eodem latere ſecetur vena; quia neceſſe eſt, ut iſte ſanguis, qui revellitur, per truncum venæ cavæ deſcendentem adſcendat. Si ergò in ſiniſtro ſecaretur vena, nihilominus per hunc truncum adſcendendum eſſet ſanguini, quia eſt unicus. Quod procul dubio ſubolfecit Galenus dum ſubjicit: *Hac non apparente, media ſecanda eſt. Quod ſi nec ea ſe oſtenderit, reliqua ac tertia eſt incidenda.*

Interim tamen non nego aliqualem venarum eſſe habendum delectum, quia ex minorum ſectione venarum tanta non oritur debilitas, quanta ex majorum; et vel maximè cavendum, ne v.g. medianam, ut vocatur, tundamus, cùm aperienda ſit, quæ in poplite eſt: hoc autem ex ipſo partium affectarum ſitu facilè cognoſcimus. Quando igitur ſecanda vena in Hepatis Inflammatione ad revellendum, tunc ſitus ipſius partis indicat in ſuperioribus ſecandam eſſe venam: quia enim ſanguis ad hepar tendens deorſum fluit; & motus tamen excitari contrarius debet, utique manifeſtum eſt illum rapiendum eſſe ſurſum; quod venæſectione in brachio inſtituta optimè fieri poteſt; c. XI. l. XIII: ſi verò brachium ſit inflammatum, in partibus inferioribus Phlebotomiam inſtituere par eſt. An verò hæc vel illa in brachio vena ſit eligenda, de eo nollem diſputare, quia vereor ne eſſet de lanâ caprinâ.

Vt ergò de Hepate diximus, ita procedendum cum Revulſione in cujuslibet partis Phlegmone; & hâc ratione intricata aliàs doctrina nihil difficultatis parere poteſt.

Ex hoc de ἀντισπάσει ſermone, & Derivationis natura non parum lectori innoteſcit: differt enim à revulſione eatenùs ſolùm, quatenus (1) in parte propinquiori excitatur. Hoc Galenus habet l. v. M. M. c. III. ubi inquit: *Avertitur autem ſanguis atque ad alia membra convertitur, tùm ad proxima derivatus, tùm ad contraria revulſus.* Exempla Derivationis hæc tradit: *Quando id quod per palatum evacuatur ad nares derivatur, & quod per ſedem profluit per vulvam derivamus.* (2) nec ad principium fluxionis humores reducit, uti revulſio; quemadmodum allegata ex Galeno exempla teſtantur. (3) quatenùs pars in quam Derivatio inſtituenda meatibus cum affecta communicat, uti ex regulis noſtris diſcimus. Hoc autem in ea tantùm Derivatione locum habet, quæ per Venæſectionem fit, ut monet Senn. l. v. Inſt. p. MCLXXXIV.

Atque hactenus de V. S. oſtendimus, quod non ſolùm plethoram auferat, ſed revellat quoque humorem fluentem, & derivet ad vicina in vaſis adhuc fluctuantem: ut igitur & reliquos modos quibus copia ſanguinis minui poteſt percurramus, erit adhuc reliquum. Nimirum hirudines adhibentur ut ſanguinem exſugant, hinc in cephalalgia ſanguinea maximus eſt earum uſus. Applicantur quoque cucurbitulæ cum ſcarificatione, & ſcarificatio ſimplex ſine cucurbitulis. De his non habeo, quod moneam, niſi quod vix adhibeantur quando Venæſectionem vires tolerare poſſunt, quia μὴ βραδέως ſanguinis copia eſt tollenda, & ipſe revellendus ad contraria, quod tamen hæc præſidia non adeò promittunt.

Et in ſpecie ad Cucurbitulas quod attinet, non licet apponere illas Hepati ad revellendum, ſi pars quædam ſit inflammata, ſanguinem; quia hâc ratione illa pars

forſan ignobilior, poſſet ab Inflammatione liberari, ſed eâ corripi Hepar; & proindè rectè ſcribit Sennertus haut placere ſibi iſtum hæmorrhagiam narium ſiſtendi modum, qui fit appoſitione cucurbitularum ad Hepar, cum tutius epithemata ſanguinem ſiſtentia uſurpentur. Deinde brachijs, nunquam verò cruribus applicentur gravidarum, ne abortus ſubſequatur.

Hiſce autem remedijs non contenti ad minuendam ſanguinis copiam medicamenta exſiccantia nonnulli præcipiunt; et ipſemet in Tab. Cauſarum horum mentionem feci; quia ſicuti ſerum & humores alij efficaciter eorum beneficio tolluntur, ita quoque de ſanguine, qui perpetuò calidus & humidus eſt teſte Ariſtot. l. III. de hiſt. anim. c. XIX, idem valere exiſtimo. Cum verò omnia exſiccantia calida ſint, (nam eatenus ſiccant quatenus humores in vapores reſolvunt faciuntque ut per ἄδηλον διαπνοὴν exhalent,) Phlegmone autem frigida potius medicamenta requirat, eas vix tuto adhiberi poſſe mihi perſuaſum habeo: cùm præſertim per jam dicta & alia remedia commodius, quod in maſſa ſanguinea eſt ſuperfluum, auferri queat. Interim menſium & hæmorrho idum provocationem laudo, ſi nimirum debito tempore in ijs inſtituatur, qui per has vias expurgari conſueverunt. Hæc autem ita intelligi debent, quando ex menſium aut hæmorrhoidum ſuppreſſione & ſanguinis ad ſuperiora regurgitatione facta eſt Inflammatio. Et tunc tamen ſedulò cavendum ab ijs quæ caliditate ſua & ſiccitate, (hæ autem menſes moventibus adeſſe ſolent,) lædere poſſunt. Laudarem itaque ſaphænæ ſectionem, vel crurum ſcarificationem, vel cucurbitulas ad inguina appoſitas ſine ſcarificatione, quæ, etſi menſium tempus non

inſtet,

inſtet, potenter ad uterum ſanguinem trahunt; ſiquidem cum menſes evocare in animo eſt, in pube & inguine cucurbitam figimus, c. XIX.

Si verò obſtructio à craſſis humoribus orta ſolvenda eſſet, adhiberem tincturam ♂is liquidam, tincturam tart. cremor. tart. tart. vitriolat. tart. chalybeat. limaturam chalybis, eſſentiam fumariæ & ♂is aperitivam, eſſent. ſplenis bovis, artemiſiæ, meliſſæ &c. quæ obſtructionem iſtam commodiſſimè tollunt.

At quia urget Inflammatio, hæc verò ſegnius & vix ſine admiſtione purgantium operantur, eousque differendam cenſeo obſtructionis curationem, donec de Phlegmones vehementiâ non amplius adeò metuendum ſit: interim tamen per phlebotomiam iſta ſanguinis copia quotidie minuenda & de revulſione præcepta benè obſervanda erunt.

Et ſic ea quoque adminiſtranda, quæ è fonte Diætetico Plethoram auferendi virtutem obtinent: de quibus prolixius ἐν τῷ παρέργῳ dicere non licet: neque etiam magnopere id opus eſſe duco, cùm ex generali Tabula, quam dedi, ea haurire ſatis ſit; modò, repertô indicatô, & regulæ ejusdem & contraindicationes ex methodo noſtra diligenter evolvantur.

Sic plethora indicat inter alia & motum corporis; per eum enim non parum de copioſo ſanguine tollitur. At verò non admittitur ab Inflammatione, quia fluxionem auget. Copia ergò ſanguinis indicat motum, & fluxio indicat quietem; quid igitur agendum? Reſpondeo ex methodo noſtra: *quod fortius indicat eſt præferendum*; fluxio fortius indicat, Ergò fluxio eſt præferenda,

& conſequenter quies, utpote quæ à fluxione indicatur: nam alia proſtant remedia quæ iſti indicationi quam Plethora ſuppeditat ſatis faciunt, ubi inſimul cauſas plethoræ externas per contraria auferendas eſſe moneo.

CAPUT VII.

ARGUMENTUM.

1. *Cacochymia indicat purgationem.* 2. *Purgatio interdum locum habet in Inflammatione.* 3. *Inflammatio eſt vel ſpuria vel legitima.* 4. *humor vitioſus eſt fluxionis cauſa.* 5. *vix reperitur corpus ſine impuritatibus.* 6. *Clyſterem adhibere licet in Hepatis Inflammatione.* 7. *Purgantia non conveniunt in Hepatis Inflammatione.* 8. *Electivè purgantia ſunt adhibenda ubi purgatione opus.* 9. *Purgantia debilitant.* 10. *Sanguinis motus naturalis.* 11. *vitioſus ſanguinis motus eſt compeſcendus.* 12. *Revulſio eſt vel ſicca vel humida.* 13. *Vomitus quando revulſionis gratia concedendus.* 14. *non ſemper revulſione opus eſt in Inflammatione.* 15. *Revellentia non conveniunt in ſtatu & declinatione.* 16. *Suppuratio fit in ſtatu.* 17. *de Derivatione.* 18. *non convenit tempore fluxionis.* 19. *de repellentibus.* 20. *quando humores in fluxu ſunt conveniunt.* 21. *contraindicantia repellentium.* 22. *Hepar non tolerat actu frigida.* 23. *Repellentia debent ſimul adſtringere in Hepatis Inflammatione.* 24. *de intercipientibus.* 25. *de reliquis modis ſanguinis motum inhibentibus.*

REſtant adhuc Tres Indicationes, de quibus, cùm præter opinionem hæc Diſputatio excreſcat, pauciſſimis ſum dicturus. Nimirum primò *cacochymia eſt auferenda.* Hoc vult Galenus dum c. VI. libri noſtri ait: Ἡ κακοχυμία διὰ τῆς οἰκείας ἑκάστου τῶν πλεοναζόντων χυμῶν καθάρσεως θεραπεύεται.

Duo hic monet Galenus, 1. eſſe purgandum, 2. purgantia requiri electivè humores educentia, ita ut cholagoga offerantur quando bilis eſt in vitio, & ſic porrò.

De primo ita ſentio: Purgationem propriè indicari à cacochy-

à cacochymia, non verò à ſanguinis copia, & hinc in Tabula de Cauſis ubi de Plethoræ indicationibus dixi, illius nullam feci mentionem. Si ergò loquimur de Inflammatione pura, nullum habebit locum, & ſic nec ab ipſo Galeno præcipietur. Quando verò ſpuriam Inflammationem ſeu impuram (ut ſignificantius dicam) conſideramus, in ejus curatione nunquam omittenda purgantia; quæ tamen non adhibentur ratione ſanguinis, ſed ratione vitioſorum humorum qui ſanguini ſunt permixti. Nam *hoc ſuccorum vitium utique purgatione corrigitur*, ut Galenus rectè docuit.

Accedit & alius caſus in quo purgare licet. Nam Inflammatio ſæpiſſimè ex fluxione oritur; hæc autem duo præſupponit, nimirum terminum à quo & terminum ad quem: hic, eſt locus affectus; ille, vel totum corpus quando ſuccis ſcatet, vel pars una. Hoc docet Galenus eodem capite quod jam tangimus, ubi ait: *cauſa fluxionis non ab ipſa parte Phlegmone obſeſſa eſt*, ὅταν ἤτοι γ' ἐξ ἑτέρου τινὸς ἢ ἑτέρων αὐτῷ πέμπηται τὸ περιττὸν, ἢ καὶ τῆς καθ' ὅλον τὸ σῶμα διαθέσεως, h. e. *quando vel ab alia quapiam, vel ab alijs ſuperfluum illi transmittitur, vel etiam ex totius corporis affectu*. Illa autem pars quæ mittit, ſtimulatur ab humoris vel quantitate vel qualitate: nam *vis excretoria*, inquit alibi Galenus, *tunc demum ad proprium opus inſurgit, quando aut multitudine premitur aut qualitate irritatur*. Quicquid ergò facultatem expultricem alicujus partis ſtimulat, illud quoque fluxionis, quando ſubſequitur, cauſa exiſtit; quicquid autem eſt fluxionis cauſa, illud utique auferendum, quia aliàs non poteſt inhiberi illa. Jam verò ſæpius vitioſus quidam humor partis cujuſdam facultatem continuò ſtimulat, quæ deinceps ſtimulata fortius à ſe protrudit quicquid

quid continet & ſic fluxionem producit: ſi ergò in hibenda iſta fluxio, utique humor iſte perverſus eſt auferendus, quod dicente ipſâ methodo noſtra, fieri poteſt per purgationem. Deinde etiam vix reperitur corpus quod ab omnibus impuritatibus ſit liberum, adeoque iſtæ, etſi nondum ſint raptæ in venas, maturè ejiciantur, ne unà cum ſanguine ad locum affectum confluant.

Non ergò adeò hallucinabitur, qui in Hepatis inflammatione clyſterem adhibuerit, ex conſilio Galeni, quod exſtat c. xv. noſtri libri xiii. Nam purgantia in Hepatis Inflammatione, maximè ſi in ἀρχῇ ſit, nullum habent locum: ea enim ſi offerre quis tentet, maximam excitabit Inflammationem, ut habet Gal. c. xi. quia humores ad jecur potius trahuntur per purgantia, quod tamen contra methodũ eſt, quæ humores non ad locum affectum trahendos ſed potius ab eodem propellendos eſſe docet: in παρακμῇ tamen audacius purgantibus uti licere c. xv. ſcribit Galenus.

Ad electivè autem Purgantia quod attinet, prolixior eſt de ijs controverſia, quàm ut hic loci pertractari queat; ea tamen utique attendenda exiſtimo, & bilem in corpore abundantem illa quæ cholagoga, non verò phlegmagoga &c. dicuntur, indicare credo.

In uſu verò Purgantium non ſolùm evacuationis, ſed & revulſionis habenda eſt ratio: quia igitur omnis revulſio fieri ſolet ad partes remotiſſimas à loco affecto, ſua luce radiat in Phlegmone inteſtinorum à Purgantibus eſſe abſtinendum; adhibenda è contra in oculorum Inflammatione, ut rectè monet Galenus c. xi.

Præter hæc ſedulò inquirendum, an aliquid adſit quod inhibere Purgationem queat. Sic v. g. quando

vires

vires nimium ſunt proſtratæ, cane pejus & angue fugienda purgantia; *quia purgantium omnium medicamentorum natura, corporum quæ expurgantur naturis contraria eſt, atq; ut quiſpiam dixerit, lethalis & deleteria id eſt peſtilens,* inquit Gal. com. II. de vict. rat. in acut. Meritò itaque examinantur Contraindicationes purgantium & Regulæ, antequam præſcribantur illa, quia Medicus curare debet *citò, tutò & jucundè.*

Quinta Indicatio eſt: *ſanguinis motus perverſus eſt corrigendus & nimius compeſcendus.* Solet nimirum naturaliter ſanguis è ſiniſtro cordis ventriculo per arteriam aortam in totum corpus diſtribui, ut & nutrimentum conferat partibus, & vitam; ſolet etiam per venas regredi ad cor, ut novô calore & ſpiritu impraegnetur. Et iſte eſt motus naturalis, qui quamdiu animal vivit continuatur, & elegantiſſimè in tractatu de generatione & motu ſanguinis, deſcribitur ab Ampliſſimo Præſide. Verùm de ejuſmodi ſanguinis motu non loquimur impræſentiarum, ſed de eo, quando præternaturaliter & nimis copiosè fervidus ſanguis in particulam inflammatam ruit, & phlegmonem exacerbat. Iſte verò utique inhibendus compeſcenduſque eſt, ut ex voto curetur Inflammatio. Et proinde ſtatim eſt revellendus ad partem contrariam, ſivè revulſione ſiccâ ſivè humidâ; quamvis hanc præferendam exiſtimem, quia & alteri Indicationi, quæ plethoræ ablationem requirit, ſatisfacere poteſt.

Laudo itaque venæſectionem, ſcarificationem, cucurbitulas, & hirudines parti oppoſitæ adhibitas; item vo-

mitum & purgationem per alvum, quando impura eſt Inflammatio, & nulla è contraindicationibus haſce revulſiones prohibet. Poſſunt etiam frictiones adhiberi in parte contraria, & ligaturæ, quia ratione caloris & doloris, quem excitant, ſanguinem eò deducunt.

Et in ſpecie de revulſione per Scarificationem habemus c. v. libri noſtri textum expreſſum: nimirum χειρὸς μὲν γὰρ κακῶς ἐχούσης, τὰ σκέλη· τοῦ δ᾽ ἑτέρου τῶν σκελῶν πεπονθότος, τὸ λοιπὸν ſcil. ἀποσχάζειν χρή: *manu laborante, ſcarificabis crura: altero crurum malè habente, reliquum.*

De Vomitu Galenus ita: τόγε μὴν ἐμέτοις χρῆσθαι τῶν αἰδοίων πεπονθότων, ἀντισπαστικὸν ἐστὶ βοήθημα. *Vomitu uti pudibundis laborantibus, in diverſa revellens auxilium eſt,* c. XI. Sed non habet locum, quando vires ſunt proſtratæ, quando homo difficilis eſt ad vomitum & obeſus, quia τοὺς ἰσχνοὺς καὶ εὐημέας φαρμακεύειν ἄνω, τοὺς δὲ δυσημέας καὶ μέσως εὐσάρκους κάτω, teſte Hipp. l. IV. aph. VI. & VII. item quando in ſuperioribus partibus eſt Inflammatio, & alijs caſibus, quos ex Emeticorum Contraindicationibus haurire poſſumus.

In genere verò de Revulſione hoc monendum, quod non ſemper ea ſit opus, quando nimirum fluxio minor eſt, quæ derivatione aut repulſione ſiſti poteſt, vel quando Medici auxilium in ἀκμῇ vel παρακμῇ imploratur, & hinc inter Revellentium contraindicationes & fluxio minor & ſtatus morbi ac decrementum ſunt relata.

Quod neque in ſtatu nec declinatione conveniat, indè manifeſtum eſt, quia humoribus ijs qui adhuc in fluxu ſunt Revellentia tantùm competunt; at in ſtatu & declinatione ceſſat iſte affluxus, E. quoque tunc non habebunt locum Revellentia. Adhæc in ſtatu circa puris confectionem occupata eſt natura, teſte Hieron. Fabric. l. I. part.

II. de

II. de Tum. p. n. p. DC. in declinatione verò ſuppuratio, ſi intenditur, jam facta eſt; ergò à Revulſione abſtinendum, ne naturam in opere ſuo impediamus.

Revulſionem excipit Derivatio, de qua Galenus ita: ἄμεινον οὖν ἐπὶ τὴν ῥῖνα παροχετεύειν, ἀρχομένων τῶν κατὰ τὸ στόμα μορίων φλεγμαίνειν, *Satius igitur ſit, ubi partes quæ in ore ſunt phlegmonem accerſere cœperint, derivare ad nares*; c. XI. Fit autem ijſdem inſtrumentis quæ de Revulſione diximus, & inſtituitur in parte loco affecto propinqua, & per vaſa cum eo communicante.

Non admittitur ſanguine jam extravaſatô, & fluxione adhuc durante. Ratio eſt, quia illi tantùm ſanguini competit, qui in vaſis loci affecti adhuc fluctuat; & quia ad partem affectæ propinquam ſanguinem deducit, tempore fluxionis nullum eſſe illius uſum conſtat: imò periculum potius imminere ex ea, cum fluentes humores ad locum vicinum, qui tamen ad remotiſſimum debebant, adducat.

Tertiò ad Repellentia eſt deveniendum: de ijs verò Galenus ita: καὶ μᾶλλον γ' ἐπὶ τῶν ἀρχομένων φλεγμονῶν τοῖς ψύχουσι καὶ στύφουσι χρηστέον, ἤπερ τοῖς διαφοροῦσιν. ἔτι δὲ μᾶλλον, ὅταν μὴ παχὺ τὸ ἐπιρρέον ᾖ. σφοδρῶς δὲ τῆς ἐν τῷ φλεγμαίνοντι μορίῳ σφηνώσεως γεγονυίας, οὐκ ἔθ' οἷόν τε τοῖς ἀποκρουομένοις χρῆσθαι: *magis profectò ad incipientes Phlegmonas frigidis adſtringentibuſq; quàm iis quæ digerunt eſt utendum. Atq; etiamnum magis, ubi craſſum quod confluit non eſt. Sed ſi ſanguis in particula quam Phlegmone prehendit vehementer eſt impactus, non eſt amplius repercutientibus utendum.* c. VI.

Duo hic Galenus docet, 1. Indicans Repulſionis, 2. Contraindicantia. Indicans eſt Phlegmone incipiens, ubi nimirum ſanguis adhuc influit: quia enim repellentia na-

turæ frigidæ ſunt, Gal. l. v. ſimpl. fac. c. xvii. frigida autem, ſicuti calida àttrahunt, materiam affluentem reprimunt, ἀναστέλλουσι i. e. remittunt ad eum locum unde venerat; nemini dubium eſſe poteſt, maximam præſtare utilitatem, ſi in tempore adhibeantur, cùm præſertim & illi Indicationi, quæ refrigerantia expetit, ſatisfaciant.

De ijs verò hoc in ſpecie monendum, quod non tutò adhibeantur, ſi repulſio fiat ad partem nobilem, ſi materia venenata ſit, & corpus plenum, &c. oculi etiam non adeò commodè repellentia ferunt, ſicuti nec veſica. Hæc & plura quæ ex methodo noſtra petuntur, *contraindicantibus* illis Galeni, nimirum humori craſſo & ſanguini firmiter jam parti impacto, addenda duxi.

Inſuper & hoc monendum, Hepar nunquam actu frigida tolerare, teſte Gal. c. xii. libri noſtri: item nec pectus nec cor; adeoque tepidè potius applicanda eſſe repellentia.

Et quia Hepatis robur per adſtringentia conſervatur, meritò ex repellentibus illa adhibentur, quæ hac vi ſunt prædita, v. g. bolus Armenus, terra ſigillata, ſanguis dracon. corall. fol. quercus, fl. roſar. &c. aliàs endivia, lactuca, nymphæa, portulaca, umbilicus ♀is &c. ſufficiunt.

Præter hæc, Intercipientia quoque conducunt, quia non permittunt ſanguinem ad locum affectum pervenire, dum frigida & adſtringente ſua facultate aditum humoribus intercludunt. Hinc ergò duo diſcimus, 1. quod tempore fluxionis, & 2. quod vijs per quas humor fluit, debeant applicari. Sic in cerebri inflammatione adhibentur collo, quia vias nempè vaſa jugularia, per quas ſanguis adſcendit ad cerebrum, conſtringunt, & tranſitum

tum

tum ipſi denegant. De cœtero cum repellentibus conveniunt.

Facit quoque multum ad nimium ſanguinis motum refrænandum, ſi maſſa ſanguinea parum incraſſetur, calor illius temperetur, & cauſæ moventes auferantur. Prius, ſerum abſumendo: alterum, frigida adhibendo: & tertium, aërem calidum, motum corporis & iram cavendo, præſtare poſſumus. Quâ autem ratione ſerum debeat auferri, Methodus noſtra Generalis ſufficienter docet.

CAPUT VIII.

ARGUMENTUM.

1. Sanguis extravaſatus & corruptus vel diſcuti vel ad ſuppurationem duci debet. 2. Sanguis extravaſatus eſt auferendus. 3. Sanguis eſt ipſa Inflammatio juxta Trincavellium. 4. Trincavellius refutatur. 5. Sanguis non eſt morbus. 6. Sanguis non eſt accidens. 7. morbi totius ſubſtantiæ ſunt accidentia. 8. Sanguis poteſt eſſe ſubjectum morbi. 9. Galenus ſtatuit ſanguinem eſſe cauſam Inflammationis. 10. Galenus non rejicit cauſas morborum continentes. 11. reſpondetur ad argumenta Trincavellii. 12. Galenus non ſtatuit Inflammationem eſſe ſanguinis multitudinem. 13. Galeni locus explanatur. 14. laus Trincavellii. 15. reſpondetur ad alterum Trincavellij argumentum. 16. à cauſa morbi ſumitur Indicatio. 17. Indicationes non à ſolo morbo ſumendæ. 18. in quibus natura morbi conſiſtat. 19. non omnis tumor eſt morbus. 20. quomodo ſanguis parti impactus & corruptus debeat evacuari.

VLtima tandem Indicatio eſt hæc: *Sanguis* (ſc. extravaſatus & corruptus quique proxima Inflammationis cauſa dicitur) *eſt diſcutiendus, vel ad ſuppurationem ducendus.* Tria pro hujus declaratione exponam, 1. indicationis rationem, 2. diſcuſſionis & ſuppuratio-

nis comparationem, ubi oſtendam, quæ harum ſit melior, & 3. diſcuſſionis & ſuppurationis abſolutionem, quomodo materia ſit diſcutienda & promovenda ſuppuratio.

Quod igitur ad primum attinet, iterum duo ſunt explicanda, 1. quod ſanguis ſit removendus, 2. quod commodiori ratione niſi per diſcuſſionem vel ſuppurationem ipſi obviam ire nequeamus. Illud facilè probatur, quia morbus non poteſt curari niſi ablata cauſa continente, ſi talem habeat; at verò ſanguis ſc. extravaſatus & corruptus eſt cauſa Inflammationis continens, Ergò non poteſt curari Inflammatio, niſi iſte ſanguis removeatur.

Sed hic in mentem mihi venit Trincavellius, qui ſanguinem pro cauſa Inflammationis neutiquam, ſed pro ipſa Inflammatione habendum ſtatuit. Hanc ſententiam profitetur ep.med.VII. fol. DCCXLII. Sed ipſi non ſubſcribo, quia confundit morborum cauſas cum ipſis morbis. Duo igitur demonſtrabo, (1) ſanguinem non eſſe morbum, (2) ſanguinem eſſe morbi (v. g. Inflammationis) cauſam: quibus declaratis in ſpecie oſtendam, hanc Trincavellij ſententiam à Galeni (quem tamen ille tanquam autorem allegat) mente toto cœlo aberrare.

Sanguis itaque non eſt morbus, (1) quia omnis morbus eſt accidens; nam *affectus qui actionem vitiat morbus appellatur*, inquit Gal. l. II. M. M. c. I. Affectus autem ſeu διάθεσις eſt accidens; unde ineptos eos dicit Galenus, qui, ut negare poſſint, morbum aliquid eſſe, inquiunt non poſſe oſtendi ipſum per ſe morbum, & illis hoc reponit, quòd nec phrenitis nec febris poſſit oſtendi, proptereà quia non ſunt ſubſtantiæ, l. II. M M. c. VII. interim tamen morbi ſunt, ergò morbus eſt accidens. Sanguis

autem

autem non poteſt accidentibus accenſeri, quia accidens 1. per ſe non ſubſiſtit, ſanguis autem per ſe ſubſiſtit; 2. quia accidens eſt in alio tanquam in ſubjecto, ſanguis non eſt in alio tanquam in ſubjecto; 3. accidens non ſuſtinet accidentia, τὸ γὰρ συμβεβηκὸς οὐ συμβεβηκότι συμβεβηκός, teſte Ariſtot. l.II. metaph. c.IV. ſanguis autem ſuſtinet accidentia, ergò ſanguis non eſt accidens, &per conſequens nec morbus. 2. quia ipſa ſanguinis ſubſtantia ad nullum morborum genus, quemadmodum hoc cuilibet vel leviter ſaltem in arte verſato conſtat, pertinet. Neque enim ad morbos totius ſubſtantiæ referri poteſt, cùm & hi ipſi morbi accidentia ſint, neutiquàm verò ſubſtantiæ, uti Medicaſter quidam nuper garriebat.

Sicuti ergò ſanguis nullo jure inter morbos numerandus, ita ſubjectum morbi (quicquid etiam alij ſtatuant) & cauſa morbi quin eſſe poſſit, nullus dubito. Quod ad poſterius attinet, eſt illud doctrinæ Galeni congruum, quicquid etiam contra machinetur Autor. *Phlegmone eſt morbus, redundantia eſt cauſa, malus color eſt ſymptoma*, inquit l. II. M.M. c. III. Diſtinguit ergò phlegmonem à redundantia; illam, morbum; hanc, illius morbi cauſam ſtatuit; quid clarius dicere potuit? Si verò tantâ quis τῆς διανοίας ἀῤῥωστίᾳ laboraret, ut ne hæc quidem capere poſſet, illum ad l. I. M.M. c. VIII. ubi Galenus ait: *ſanguinis abundantia eſt interna phlegmones cauſa*, remitterem, & quin pedibus in meam iturus ſit ſententiam, nullus dubitarem. Si enim ſanguinis abundantia eſt interna phlegmones cauſa, ſanè non erit ipſa φλεγμονή, quia cauſa & effectus differunt; quæ autem differunt, non ſunt idem. Deinde luce meridianâ clarius eſt, tres in universâ Pathologiâ affectuum p. n. dari claſſes, quarum *primam* conſtituunt morbi

morbi, *contrarij ſanitatis affectus*, l. II. M. M. c. III. ſeu *conſtitutiones partium p.n. lædentes actiones*, l. de diff. morb. c. II; *ſecundam* morbi cauſæ pariunt, & hæ morbum præcedunt; *tertia* conſtituitur à morbi ſymptomatibus, & hæc morbum ſequuntur, ita Gal. l. II. M. M. c. I. & III. Quicquid ergò Inflammationem præcedit, illud neque ad primam neque ad tertiam ſed ſecundam pertinet claſſem & eſt morbi v. g. Inflammationis cauſa. At de ſanguine verum eſt prius, Ergò & poſterius. Tandem valdè metuo veritati illius propoſitionis, quando Autor à Galeni decretis alienum eſſe dicit, ponere cauſam conjunctam in morbis, ſicuti contra Fuchſium & alios l. II. Inſt. p. m. CCXIV. & ſeq. prolixè demonſtrat Cl. Sennertus, ad quem B. L. remitto.

Noſtrarum verò partium erit, ulterius thema hoc arbitrari, argumenta Autoris ſub examinationis incudem revocare, & vim eorundem inſpicere penitius. Allegat autem primò Galenum, quem dixiſſe ait Inflammationem vel carnis vel ſanguinis eſſe multitudinem, probare autem poſtmodum, quod non ſit multitudo carnis; ergò ſanguinis multitudinem relinqui, & Inflammationem nihil aliud eſſe, quàm ſanguinem copioſum ibi infarctum, ſibi perſuadet. Huic etiam ſubjungit rationem ex medendi methodo depromptam. Ceſſat nimirum Inflammatio evacuatô ſanguine, Ergò ſanguis eſt Indicans. Indicatio autem à naturâ & eſſentia morbi eſt ſumenda; hic enim propriè ille eſt qui per curationem tollitur. Hæc habet fol. DCCXLIII. Quicquid ergò indicat illud morbus eſt, juxtà Autorem; Sanguis indicat, Ergò ſanguis ipſe morbus eſt. Tertiò ſuam opinionem ex l. de morb.

diff.

diff. probat, ubi Galenus de frigidioribus tumoribus loquens, dicit: *Si materiæ quæ in illis continentur ita creſcunt, ut jam lædant actiones, morbi ſunt; cum verò nondum lædunt, aut cauſæ ſunt aut ſymptomata.* Quod itaque Galenus de humoribus p. n. ſtatuit, idem & de ſanguine dici poſſe retur, & hinc morbum excitari, ſi ſanguis influens eò devenerit, ut actiones lædat; cauſam autem morbi eſſe, quando nondum lædit.

His ita ex mente Trincavellij propoſitis, ordine jam reſpondebo. Quod primum attinet, per Inflammationem Galenus ibi intelligit tumorem, quod ex libri titulo qui de tumoribus p. n. eſt, & ex l. XIII. M. M. c. I. ubi de tumoribus p. n. ſe acturum, initium verò ab Inflammatione ducturum ait, conſtat. Jam autem omnis tumor eſt magnitudo aucta, nam *in tumoribus partes à naturali habitu, in quantitate recedunt*, l. c. Quicquid ergò non eſt magnitudo aucta, illud nec tumor eſt, & per conſequens nec Inflammatio. Sanguis non eſt magnitudo aucta. Ergò ſanguis nec tumor eſt nec Inflammatio. Quomodo ergò Galenus ſtatuere poteſt Inflammationem eſſe ſanguinis multitudinem? Iſta igitur Galeni verba cauſaliter ſunt explicanda, ut dicamus, ſanguinis multitudinem eſſe cauſam Inflammationis. Et hanc eſſe Galeni mentem, ex l. I. M. M. c. II. colligitur, ubi ita ſtatim caput auſpicatur: Δέδεικται γάρ τοι πᾶσα φλεγμονὴ δι' ἐπιῤῥοὴν αἵματος γιγνομένη: *Etenim demonſtratum eſt Phlegmonem omnem è ſanguinis confluxu conſiſtere &c.* & capiti tertio tale dedit exordium: Γένεσις μὲν κοινὴ πάσαις ταῖς φλεγμοναῖς ἐξ αἵματος ἐπιῤῥοῆς ἐστὶ πλείονος ἢ ὅσου δεῖται τὸ μέρος, ὥς ἔν τε τῷ περὶ τῶν παρὰ φύσιν ὄγκων ἐδείχθη. *Ac communis omnium Phlegmonarum generatio ex ſanguinis influxu eſt, co-*

pioſioris ſc. quàm pars poſtulat, veluti tum in libro de tumoribus p. n. oſtendimus. Ergò apertè iſtum librum citat, & quod ibi dixerat, hîc explicat, ſe videlicet ſanguinis multitudinem non pro ipſa Inflammatione, ſed pro Inflammationis cauſa habere. Cadit ergò primum Trincavellij fundamentum.

Alterum quod producit, majore laborat infirmitate, & ferè indignum eſt tanto Autore, qui aliàs ob ſingularem eruditionem, illuſtres inter Viros meritò recenſetur. Sed cùm illuſtres etiam Viri homines ſint, humanitatis quoque incommoda ab ijs non eſſe aliena, miretur nemo. Nos ſuſpicimus Trincavellium, & ob præclara in remp. Medicam merita, laudum ipſius præcones erimus perpetui, eaſque ire deſtructum, ab eâ quam de Inflammatione propoſuit ſententia, diſcedendo, meritò nos incedit religio. Si igitur fundamento, quod pro ſtabilienda ſua ſententia ſecundum proponit, non ſubſcribamus, facilè nos excuſatos iri confidimus, modò æquam diſputationi noſtræ cenſuram experiri licuerit. Ut ergò ſublato è parte affecta ſanguine, & (quod addendum ducimus) prohibito ulteriori ipſius influxu, ceſſare Inflammationem ambabus Autori manibus largimur; ita quoque concedimus, ſanguinem indicantis rationem ſuſtinere: pro morbo autem habendum eſſe propterea, fidei abſonum meritò ſtatuimus; quia Indicatio curatoria æquè à cauſa morbifica, quàm ipſo morbo ſumitur. Quî itaque de morbo dicat: *hic propriè eſt qui per curationem tollitur*; non intelligo, ſi excluſivè ratione cauſæ morbificæ loquitur. Et quod à cauſa quoque morbifica ſumatur Indicatio, immortalis Galenus docet l. IV. M. M. c. IV. dum ait: *ſed omninò in omnibus in quibus affectus cauſa*

adhuc

adhuc manet, ab hac inchoanda curatio eſt. Unde, quâ ratione cauſæ, quæ putredinem excitavit, & in corpore adhuc remanet, remedium facillimè invenire liceat, docet l. XI. M. M. c. VIII. Et fruſtra moneret Galenus *inſpiciendum eſſe quod in univerſum ſint & morbi & ſymptomata & proximæ ſivè internæ horum cauſæ*, niſi à cauſis ſumerentur indicationes. Atqui id facit Galenus l. II. M. M. c. II. Ergò indicationes non à ſolo morbo deſumuntur, neque ita argumentandum: Quicquid indicat illud eſt morbus, Sanguis indicat, Ergò ſanguis eſt morbus; quod tamen Autor facit. Atque ita ſecundo etiam argumento factum eſt ſatis.

Tertium pro fundamento habet l. Galeni de diff. morb. Sed miror quid commoverit Autorem, ne adſcriberet locum iſtius Galeni operis: nullum enim caput citat, neque ullibi ejus libri me legiſſe memini iſta verba quæ Autor ponit: Galenum nempè materiam tumorum, ſi actiones lædat, habere pro morbo, aliàs pro ſymptomate; ſed ita infit c. XII. *Deniq; tumor in ipſis ſi ad tantam magnitudinem attollatur, ut ob hanc ipſam functio impediatur, morbus cenſeri debet.*

Videlicet Galenus diverſis in locis dixerat, morbum eſſe conſtitutionem partium præter naturam; hoc autem ad abſolvendam morbi naturam non ſufficere, ſed vel maximè requiri, ut iſta affectio actiones etiam lædat; quia tunc demum homines ſe ægrotare exiſtimant, quando actionibus citra noxam fungi nequeunt, teſte Galeno l. de diff. morb. c. II. Ita etiam de tumoribus ſentit. Omnis quidem tumor eſt præter naturam, quia *in tumoribus pars à naturali ſtatu recedit in quantitate*, ut eſt l. XIII. M. M. c. I. ſed propterea non ſtatim morbus eſt, quia ad morbum

& hoc requiritur, ut actiones lædat: quando ergò tumor actiones nullas lædit, non poteſt dici morbus; quando autem actiones lædit, tunc morbus eſt.

Per me itaque licet applicet hæc Autor ad Inflammationem. Si enim Inflammatio non lædit actiones, non eſt morbus, imò ne Inflammatio quidem; quando autem lædit, morbus eſt. Ad ipſos autem humores hoc transferre ineptum eſſet, quia Galenus non de humoribus in tumore contentis tumoremque excitantibus ſed de ipſo tumore loquitur.

Atque ſic argumenta Trincavellij excuſſimus ſatisque luculenter demonſtravimus, ſanguinem nullatenùs pro ipſa Inflammatione eſſe habendum, imò repugnare id dogma & Galeno,& (quod maximum eſt) ſanæ rationi.

Nobis verò nemo cordatiorum vitio vertet, ſi veritatis amore diſcedimus à tanti nominis Medico, neque ipſi etiam Trincavellij manes propthereà indignabuntur.

Eſt ergò ſanguis extravaſatus & corruptus vera Inflammationis cauſa, adeoque ante omnia removeri debet: id quod erat oſtendendum.

Non poteſt autem quando è vaſis elapſus & parti alicui firmiter impactus eſt, commodiori ratione evacuari, quàm per diſcutientia.

De hoc autem themate neceſſe eſt ut paulo accuratius diſpiciamus, cùm præſertim ſuppuratio à multis ipſi diſcuſſioni præferatur; Galenus autem l.11. ad Glauc. c.11. graviter ſcribat: *oportet in Inflammationibus principia curationis optima fieri, nam quæ in ipſis errata contingunt, difficulter ſanabiles aut omninò inſanabiles faciunt diſpoſitiones.* In ſequenti igitur capite de diſcuſſione & alijs huc pertinentibus ſum dicturus.

CAPUT

CAPUT IX.

ARGUMENTUM.

1. Sanguis extravaſatus quid indicet. 2. Repletioni debetur vacuatio. 3. πλησμονὴ quotupliciter accipiatur. 4. quot modis ſanguis ex partibus evacuetur. 5. quid ſit διαφόρησις 6. quomodo operentur digerentia? 7. ſanguis extravaſatus eſt diſcutiendus. 8. contraindicantia diſcutientium. 9. an materia craſſa poſſit diſcuti. 10 quomodo adhibenda digerentia fortiora. 11. an ſcarificatio locum habeat? 12. an ſanguis extravaſatus per ſcarificationem ſit auferendus. 13. quid ſit ſuppuratio & quomodo fiat? 14. an ſuppuratio an diſcuſſio præferenda. 15. Medicamenta diſcutientia & ſuppurantia. 16. quando abſceſſus aperiendus & quomodo. 17. quid in diſcuſſione & ſectione notandum. 18. operationes chirurgicæ hic non ex profeſſo deſcribuntur.

GAlenus l. art. Med. c. xcv. ſcribit non rarò in partes quaſdam ingentem ſanguinis multitudinem influere, adeò ut intendantur venæ tàm majores quàm minores, ut ipſe ſanguis ex vaſis in ſpatia vacua effundatur. *Hujus verò affectus ſanatio*, ait, *intentionem habet evacuationem, ſiquidem morbus erat immoderata partis repletio.* Præſupponit ergò quod alibi dixerat τὰ ἐναντία τῶν ἐναντίων ἰάματα eſſe, & facta applicatione concludit, repletioni opponendam eſſe inanitionem, ἀποκένωσιν abinanitionem, abvacuationem, ut in codd. impreſſis; vel τὴν ἐκ τοῦ μέρους κένωσιν, ut in veteri Græco cod. legitur. Et in eo conſentit cum Hipp. qui l. II aph. XXII. expreſſe ſcribit: ἀπὸ πλησμονῆς ὁκόσα ἂν νοσήματα γένηται, κένωσις ἰῆται. Πλησμονὴ propriè quidem de nimia ciborum abundantia & ſatietate dicitur, quod ex l. II. aph. IV. colligitur, ubi ipſi opponitur λιμός; poteſt tamen in genere quamlibet repletionem denotare, cui rectè opponitur κένωσις. Ubi ergo adeſt repletio, ibi indi-

indicatur evacuatio. Jam ſubſumimus: In parte inflammata datur repletio, E. etiam ibi indicatur evacuatio; quod Gal. docet l. XIII. M.M. c. VI. ubi κοινῶς ἁπασῶν φλεγμονῶν σκοπὸν τὴν κένωσιν eſſe ait. Sed cujus indicatur evacuatio? Scilicet illius rei quæ replet; quia ergò in parte inflammata ſanguis replet; ergò & ſanguis debet evacuari; τὸ κῦρος ἅπαν ἐστὶ τῆς τῶν φλεγμαινόντων θεραπείας ἐν τῷ κενῶσαι τὸ περιττὸν αἷμα, c. IX. l. XIII. M. M.

Iſta autem evacuatio dupliciter peragi poteſt, inquit Galenus: dum aut retrocedere cogitur vel impulſa vel attracta vel tranſmiſſa materia, aut per ipſam patientem particulam educitur, c. XCV. art. Med. & l. XIII. M. M. c. IX. Prior modus convenit, quando ſanguis parti nondum eſt impactus: & de eo in ſuperioribus dictum, cùm ageremus de revulſione, de repulſione & derivatione; per eas enim hæc evacuatio perficitur, quod Gal. c. VI. noſtri libri innuit dicendo: *vacuatur autem quod impletum eſt per ea etiam quæ adſtringunt & refrigerant*. Ergò poſterior nobis adhuc conſiderandus & inquirendum erit, quomodo ſanguis parti impactus per ipſum patientem locum poſſit evacuari.

Id verò docente Galeno dupliciter fit, 1. ſenſibiliter per ſcarificationem & ſectionem, 2. inſenſibiliter per diſcutientia.

De his Galenus ita: ſi ſanguis in particula quam Phlegmone prehendit vehementer eſt impactus, tum digerere eſt tempeſtivum, ὅτι τὸ διαφορεῖν ἰέναι καιρὸς, c. VI. Διαφόρησις eſt humorum qui in aliqua corporis parte continentur per inſenſiles cutis meatus evaporatio & digeſtio, inquit Anut. Foëſ. in Oecon. Hipp. f. CLXI. & hinc diraratis corporis partibus eam fieri Aurelian. l. II. acut. morb. c. XXXIII.

c. xxxiii. ſcribit; & Gal. ait: Διαφόρησις ἐκκενεῖ λόγῳ θεωρητοῖς πόροις τὸν ἐν τῷ φλεγμαίνοντι μορίῳ χυμὸν, humorem per inſenſibiles meatus educit. Hinc ergò colligere datur, qua vi operentur διαφορητικὰ: aperiunt nimirum poros cutis, & ipſam materiam in halitus convertunt; adeoque calida ſint & partium tenuium eſt neceſſe. Cùm enim tranſpirationem corporum prohibeant meatuum ſtipatio & circumdantis nos aëris frigiditas, eam verò promoveant quæ his ſunt contraria, teſte Gal. l. ix. M. M. c. v. ijs quas dixi qualitatibus prædita eſſe Diſcutientia nullus dubito. Quando ergo humor aliquis in parte præter naturam hæret, qui nec per derivantia nec repellentia vel ſimilia removeri poteſt, is ipſe convertendus in halitus & per cutis poros evacuandus eſt. Quæ autem id præſtant remedia, Diſcutientia, Digerentia & reſolventia appellari, ex ſuperioribus notum eſt. At verò in partibus inflammatis talis materia reperitur, quæ nulla ratione alia poteſt auferri niſi hoc modo: Ergò etiam ad digerentia tranſeundum eſſe tunc temporis claret.

Hic verò neceſſe eſt, ut pro more noſtro contraindicationes, quas delineata methodus noſtra ſuppeditat, de Digerentibus ſeu Diſcutientibus evolvamus. Primò autem humor craſſus non adeò commodus eſt qui diſcutiatur: cùm enim per ἄδηλον διαπνοὴν materiam ejiciant διαφορητικὰ, ſubtilem eam eſſe oportet. Craſſior enim per poros iſtos λόγῳ tantùm θεωρητοὺς egredi nequit. Quia verò Galenus l. ix. M. M. c. v. *craſſa glutinoſa & frigida ægrè* tantùm *tranſpirare dicit*; hinc ad diſcuſſionem non penitus eſſe inepta ea colligimus; quia videlicet præparari poſſunt & attenuari, teſte Gal. l. iv. de ſanit. tuend.

In attenuantium verò uſu hoc notandum, ut à nimium

mium calidis abſtineamus; partim ob ipſam Inflammationis naturam, partim quia fluxionem excitat calor, teſte Galeno l. XIII. M. M. c. IV. & c. VI. & hac ratione Phlegmonem auget.

Ejuſmodi autem humor craſſus faciliùs præparari poteſt, ſi inflammatio ſit externa; quia tunc mitiora attenuantia ſufficiunt: quorum tamen nullus eſt uſus in illarum partium φλεγμονῇ, quæ in profundo ſitæ ſunt. Nam *pars in profundo ſita fortius indicat remedium*, inquit Methodus noſtra in Regulis, quia *levium medicamentorum virtus reſolvitur dum altè deſcendit*, teſte Galeno l. XIII. M. M. c. XIX. & tamen fortiora ob ipſum affectum non conveniunt. E. non ſolum materia craſſior, ſed ipſe quoque locus affectus diſcutientia reprobat, dum quando in profundo eſt, vehementiora requirit, quàm morbus tolerare poteſt: vel aliâ ratione, dum oculis inflammatis fortiora adhibere vel talia quæ acria ſunt non licet, quia exquiſitus eorum ſenſus eſt, teſte Galeno l. XIII. M. M. c. XXII. Sic hepar & lien non ferunt digerentia fortiora, quia ſcirrhis admodum oportuna ſunt, ut eſt c. XVI. item nec illæ corporis partes quarum cutis eſt denſior, quia non adeò facilem humoribus exitum concedunt. Hæc verò etſi difficilem Diſcuſſionem dicant, non tamen eam prorſus rejiciunt, cum denſior cutis rarefiat convenientium remediorum applicatione; lieni verò & hepati illa ſolùm ſint adhibenda cautiùs.

Conceſſis ergò digerentibus, evolvendæ ſunt regulæ tam de medicamentis in genere, quàm in ſpecie de diſcutientibus. Docent autem mitiora eſſe præmittenda, quia *à levioribus ſemper auſpicandum eſt remediis:* docent

miſcenda

miſcenda eſſe emollientia, *ne Tumor degeneret in Scirrhum*; nam fortiter exſiccantia Tumoris reliquias in Scirrhum mutant, teſte Galeno II. art. cur. ad Glauc. c. VI: docent iſta Emollientia in Hepatis inflammatione debere moderata eſſe, *ne tonum ipſius laxent*, &c.

Si verò malum Diſcutientibus non cedat, ad evacuationem materiæ ſenſibilem devenire æquum eſt. Dupliciter autem peragitur: 1. per ſcarificationem, 2. per partis apertionem factâ ſuppuratione.

De Scarificatione non memini me legere apud Galen. in lib. XIII. niſi duo loca quorum uterque extat c. V. nam ἀναγκαζόμεθα τοιγαροῦν ἐνίοτε κενοῦν αἵματος, ἤτοι φλέβα τέμνοντες ἢ ἀποσχάζοντες τὰ μὴ πεπονθότα κῶλα: *Cogimur*, inquit, *aliàs ſanguinem mittere, idq; aut venâ inciſa, aut membris iis quæ læſa non ſunt ſcarificatis*, & paulo poſt: ὅταν οὖν ποτε διατείνονται σφοδρῶς ἀδένες ἢ μόριον ἄλλο φλεγμαῖνον, ἀναγκαζόμεθα προκενώσαντες τὸ ὅλον ἀποσχάζειν αὐτό: *Vbi ergò diſtentæ vehementer glandulæ ſunt, aut alia deniq; particula quævis quam Phlegmone premit, cogimur toto corpore prius vacuato ipſum ſcarificare*. Utroque loco ad evacuandum præcipit ſcarificationem; in priori tamen ratione totius corporis, in poſteriori verò ratione partis inflammatæ. Illud probo; quia agit de topicis glandularum φλεγμονῇ adhibendis, & dicit quod calida illa de quibus locutus fuerat non convenient ſi corpus plethoricum ſit vel cacochymicum, *quia fluxionem ad membrum citant*. Cogimur ergò aliàs ſanguinem mittere, ait, idque aut vena inciſa aut membris ijs quæ læſa non ſunt ſcarificatis. Ergò per Venæſectionem vel Scarificationem plethoram totius corporis auferre jubet. Hoc autem modo Scarificationem im-

 præſen-

præſentiarum non conſideramus, ſed poſteriori, quo nimirum à laborante loco materiam illius opera auferimus. Et hoc vult Galenus dum ipſam partem inflammatam ſcarificare jubet, ſecus ac ſupra. Etſi autem præſupponat (1) vehementer iſtam partem diſtendi, (2) corpus ritè eſſe evacuatum, mihi tamen non uſque adeò probatur hoc remedij genus. Aut enim Galenus vult partem inflammatam diſtendi à copia ſanguinis, aut à copia puris: poſterius vix credo, quia tunc temporis quando notabile pus in parte continetur τὴν τομὴν commendat. τέμνειν χρὴ, inquit, τὸ οὕτως ἀφιστάμενον, ſecare oportet quod ſic abſceſſit, neutiquam verò ſcarificare. Si ergò à ſanguinis copia diſtendi vult adenas vel partem quamcunque aliam, & ſcarificationem præcipit, vix me habebit ſibi ὁμόψηφον. Nam ſi tumor ejuſmodi crudus ſcarificaretur, major fieret affluxus ratione doloris, quem iſta ſcarificatio afferret; & adhuc major, ſi cucurbitulæ accederent, quia vehementiſſimè attrahunt; quo nomine etiam à Galeno commendantur ad auferendam doloris cauſam ex morſu animalis & prohibendum hac ratione ulteriorem affluxum, quia virus doloris cauſam extrahunt, c. VI. Itaque melius eſſe puto ad ſuppurationem deducere φλεγμονὴν, maximè ſi externa fuerit.

Hic verò in mentem mihi venit præmiſſorum quæ in principio cap. VIII. feci, ubi (1) Indicationis ultimæ rationem, (2) Diſcuſſionis & Suppurationis comparationem, & (3) earundem abſolutionem me traditurum pollicebar. Poſtquam ergò declaravi ſanguinem eſſe veram Inflammationis cauſam & per conſequens auferendum, non poſſe autem commodiori ratione niſi per Diſcuſſionem (cujus naturam ſupra expoſui) & Suppurationem

ipſi

ipſi obviam iri; reſtat ut ſecundò de ſuppuratione breviſſimè dicam, & tertiò oſtendam quibus remedijs & diſcuſſio & ſuppuratio promoveri debeat.

Eſt autem Suppuratio nihil aliud, quam benigna naturæ actio, qua materiam vitioſam coquit & ſubigit, ut eo felicius illam expellere queat. Quando igitur natura Inflammationem curatura eſt, tunc ſanguinem in tumore illo convertit in pus, illud pus in unum locum cogit & facit abſceſſum, eumque tandem rumpit & quam coxerat collegeratque materiam effundit.

Hinc ergò facilè intelligimus, quomodò Suppuratio à Diſcuſſione differat: in hac enim materia evacuatur; in illa verò propriè loquendo nihil evacuatur, ſed tantùm alteratur & coquitur: in diſcuſſione materia convertitur in halitus; in ſuppuratione convertitur in pus. Inde & hoc quod ſuprà innuebam diſcimus, tutiorem eſſe diſcuſſionem ſuppuratione, maximè in partibus internis, quia in diſcuſſione materia ejicitur, in ſuppuratione verò tantùm in unum locum colligitur. Quando igitur ejuſmodi abſceſſus rumpitur, truculentiſſimi non rarò affectus ſequuntur, dum materia purulenta ad nobiles partes ruit. Meritò igitur ſuadent Autores, omni ſtudio inhibendam eſſe ſuppurationem in partibus internis & præcipuè in nobilibus. Quando tamen præcaveri à Medico non poteſt, quod ob craſſitiem materiæ non rarò accidit, conatus naturæ promovendus eſt & adjuvanda ſuppuratio.

Ut verò *tertiò* ad medicamenta perveniamus, è Diſcutientibus præcipua ſunt: Rad. alth. malv. lil. alb. Fol. chamom. melilot. malv. origan. peucedan. marrub. puleg. hyſſop. farin. fœnugr. fabar. hord. ol. aneth. irin. laur. nard. ammoniac. bdell. galban. Ungu. dialth. Empl.

diachyl. de melilot. Ol. nitri, ſulph. calx ſemel extincta, &c. Suppuratio verò promovetur per œſypum, adipem ſuillum, medull. cerv. farin. tritic. ungu. baſilic. de alth. Agrippin. &c.

Facta jam ſuppuratione (quæ tamen difficulter non rarò cognoſcitur, vel ob cutis puriſque craſſitiem; vel loci affecti profunditatem: quamvis ex fluctuatione in parte laborante, ejuſdem albedine & ſymptomatum remiſſione, tandem deprehendatur) non ſtatim aperiendum eſſe abſceſſum Galenus monet dum ait: *κἂν εἰ πῦον δέ τι κατὰ τὸ διαπυῆσαι ἀξιόλογον εἴη περιεχόμενον, οὐ χρὴ τέμνειν αὐτίκα καθάπερ ἔνιοι πράττουσιν*, ſed exhalationem moliri convenientibus remedijs ſatius eſſe putat, c. v.

Videlicet Abſceſſus eſt rumpendus; ſed quæritur quomodo & quando. Sunt nonnulli qui ſtatim aperiunt quamprimum aliquid de pure ſe prodit; ſed iſti naturam in actione turbant. Sunt qui planè non aperiunt ſed rupturam ipſi naturæ committunt; hi verò ſegnes admodum *τῆς φύσεως* miniſtri ſunt: nimis enim ſerò natura interdum abſceſſum rumpit, & pus interim partes erodit. Sunt qui ferro aperiunt, quod Galenus admittit, quando tanta eſt puris copia ut medicamenta ſuperet: *ſin aliquando* (puris) *copia medicamenta ſuperet nec ea videantur tibi totum digerere poſſe, ſecare exitum ei quod digeſtioni non ceſſit eo potiſſimum loco quo eſt editiſſimum*: quippe tenuiſſimam etiam ibi invenies cutem, inquit cap. v.

Tria hic docet Galenus. (1) abſceſſum non eſſe incidendum quamdiu diſcuti poteſt, forſan propterea quia ſectio interdum deformes cicatrices facit, ſicuti ipſe in hoc capite innuit. (2) abſceſſum eſſe ſecandum ſi nimia puris copia urgeat; eſt enim pus præter naturam adeoque

debet

debet removeri; quando autem inſenſibiliter non poteſt, ſenſibiliter evacuetur neceſſe eſt. (3) abſceſſum eſſe ſecandum in loco editiſſimo: rationem addit, quia cutis ibi tenuiſſima eſt; eſt autem tenuiſſima, quia pus ibi exitum quærit.

Inſuper hic obſervationes aliquot tradit tàm de diſcuſſione quàm ſectione.

De illa dicit (1) cavenda eſſe medicamenta acria, quia cum phlegmones naturæ quicquam in membris adhuc reſtet magis irritant quàm digerunt, c.v. (2) ſi forſan medicamenti acrimonia pars ægra ſit irritata ut *tumentior ſit aut rubicundior aut magis indoleat*, mitigari eam poſſe fomento per ſpongiam i. e. applicari poſſe anodyna, ne de novo affluxus excitetur & gravior fiat inflammatio quàm ante fuit. (3) valentibus medicamentis utendum, quando id quod ex Phlegmone relinquitur ſcirrhoſum effectum videtur. Scirrhus enim eſt tumor durus qui vehementiora reſolventia requirit. Hiſce tamen de emollientibus ſemper admiſcenda ſunt ob rationem quam ſupra cum de Diſcutientibus agerem, dedi.

De ſectione docet (1) quod parva fieri debeat, ne pars turpis reddatur vel imbecillior vel alia demum ratione lædatur, c. v. (2) quod plerumque fieri debeat in folij myrtini ſpeciem i.e.ut Cl.Sennertus explicat ſectio ſimplex ſed ita longa ut labijs dilatatis vulnus referat ſimilitudinem folij myrtini. (3) ut ſectio ſit per longitudinem: ratio, quia fibrarum ductus obſervari debet; fibræ autem plerumque ſecundum longitudinem corporis, ſtatuente Sennerto l. v. Pr. Med. part. I. c. v. p. I. procedunt; ubi verò tranſverſales ſunt, talem quoque ſectionem requirunt. (4) Dolorem mitigandum præcipit. (5) ſi portio

aliqua ſuppurantis partis computruiſſet eam excindendã eſſe monet. Hinc adhibenda ſarcotica, conglutinantia & cicatrizantia, de quibus tamen prolixiùs alio tempore agere, ſi Deus voluerit, decrevi. Amplior enim eſt materia hæc quàm ut adeò paucis pagellis accurata ipſius pertractatio comprehendi queat. Tum quod ad rationem aperiendi abſceſſus attinet & cavitatem carne implendi & ſimiles operationes, illas ut cap. 1. dicebam ex Chirurgia præſuppono.

CAPUT X.

ARGUMENTUM.

1. De Symptomatibus urgentibus. 2. de cauſis externis. 3. quomodo cauſæ externæ in corpus noſtrum agant. 4. regula de cauſis externis. 5. vinum non convenit in febribus. 6. quomodo Diæta ſit præſcribenda, & quomodo compendiosè illius doctrina tradi poſſit? 7. Sex res non-naturales & cauſæ morborum ſunt & remedia. 8. quomodo ſe habere debeant in cura Phlegmones. 9. quæ ſymptomata urgeant in Inflammatione? 10. quomodo dolor ſit tollendus? 11. quomodo ἀγρυπνία ſit curanda? 12. quomodo Gangræna Inflammationes excipiat? 13. quo ordine remedia adhiberi debeant? 14. medicamentum purgans. 15. epithema anodynum & repellens. 16. Emulſio refrigerans. 17. Cataplaſma in augmento. 18. Epithema in augmento. 19. Cataplaſma in ſtatu & declinatione.

SIc ergò egimus de Indicationibus ab ipſo morbo, ejuſdem cauſis tàm proxima & continente quàm antecedentibus & loco affecto, deſumptis, ita ut de ſymptomatibus & externis tantùm cauſis nobis adhuc relicta videatur tractatio.

Etſi enim cauſæ externæ quatenùs externæ ſunt non indicent; ſolent tamen internarum haut raró cauſarum rationem induere revera in corpus noſtrum agere, dum vel cum ipſo morbo conſpirant, v.g. aër calidus cum

Inflammatione; vel ad cauſarum morbificarum proventum faciunt, ut cibi dulces & pingues ad bilis generationem; vel procatarcticæ fiunt, ut motus corporis qui fluxiones excitat, &c. & proindè in morborum curatione nequaquam ſunt negligendæ.

Quia verò earum paſſim facta eſt mentio cùm de cauſis ſuprà ageremus & quia compendiosè tradi poſſunt quæ de his ſciri debent, ideò unicâ regula erimus contenti quæ talis eſſe poteſt: *cauſæ externæ debent removeri*. Si ergò cauſa externa ſit aër calidus, is ipſe erit alterandus; ſi cibi pingues, ab ijs abſtinendum eſt; ſi motus corporis, erit iſte fugiendus, & ſic in reliquis.

Levis quidem videtur hæc regula primo intuitu, at revera tamen omnia dicit quæ de cauſis externis dici poſſunt, & quomodo inſtituenda ſit Diæta accuratè docet.

Si enim de vino noſti Intemperiem calidam induci à nimio ipſius potu & à cibis calidis & ſiccis; facilè profectò ex data regula intelligis, an talibus uti liceat in febre nec ne. *Cauſæ externæ debent removeri*, inquit illa; ſubſumo: vinum & cibus calidus & ſiccus ſunt cauſæ externæ, Ergò debent removeri; nullum igitur in febribus locum inveniunt ſc. ordinariè. Et ita in quolibet morbo quando rationem Diætæ deſcripturus es procedis: examinas nimirum res non-naturales, an morbum foveant vel fovere poſſint, nec ne. Si ita; contrarium præcipis, & ſic porrò.

Dum verò hæc ſcribo, in mentem mihi venit illius quod tacitus jamdudum credidi, nimirum de Diæta doctrinam commodè tradi poſſe, ſi *congruere illam cum Indicatis debere* affirmemus. Si ergò de vino quæreretur, an locum habeat in febribus; ita procedo: febris indicat re-

ſtigeran-

frigerantia; at vinum non refrigerat, Ergò etiam vix concedendum erit in febribus. Et ſic cum reliquis rebus non naturalibus comparatum quoque eſt. Si enim intemperie cerebri frigida & humida quis laboraret, aër calidus requiritur, quia ipſe morbus calida indicat; cum hoc autem indicato congruere debent ſex res non-naturales dictæ adeoque & aër; neque aër ſolùm ſed cibus quoque & potus, ſicque porrò.

Hinc ergò diſcimus iſtas res non-naturales & cauſarum morbificarum & remediorum locum ſuſtinere poſſe. Cauſæ ſunt, quando cum ipſo morbo congruunt, antecedentes producunt & movent ut cauſæ proximæ fiant: remedia, quatenùs cum indicatis conveniunt & morbo contrariantur.

Hinc etiam diſcimus quomodo ſe habere debeant in Phlegmones curatione.

Aër nimirum ſit frigidus, ſed tamen modicè, quia φλεγμονὴ frigida requirit; & ſi calidus eſſet, liquaret humores & funderet, moveret, & ſic fluxionem augeret: ratione paſſivarum qualitatum vitetur humidus, quia humores ſuperfluos cumulat & calorem nativum debilitat.

Cibus ratione copiæ non ſit nimius, quia ventriculum gravat & cruditates generat; ſed paucus offeratur, maximè ſi plethora adſit; ab inedia tamen abſtinendum, quia humores vitioſos agitat & movet: *ratione temporis* non ſumatur priore inconcocto: *ratione qualitatis* frigidus ſit, non actu ſed potentia; hinc olera conveniunt, qualia ſunt lactuca, endivia, &c.

Potus quoque refrigerandi virtutem obtineat, unde Julepi, Emulſiones & Decocta refrigerantia conducunt.

Somnus

Somnus ineatur, quia ἀγρυπνία vires debilitat.

Motus vitetur, quia calefacit, humores agitat, fluxiones auget & vaſa rumpit; tantò igitur melior eſt quies, quam ipſi quoque patientes, cùm ad motum ferè inepti ſint, eligere videntur.

Ad *animi affectus* quod attinet, vitetur *ira*, cùm humores accendat moveatque; & *mæſtitia*, quia vigilias inducit.

Tandem quoque danda eſt opera, ut *excrementa* quælibet per emunctoria ſua excludantur; fæces per alvum; urina per veſicam; pituita per nares & palatum, atque ſic porrò.

Symptomata urgentia & præcipua ſunt Dolor, Vigiliæ & Gangræna.

De Dolore multa habet Galenus quomodo compeſcendus ſit; unde commendat calida modicè & humida, dum *calfacere & humectare totum membrum modicè oportet ut dolor mitigetur*, expreſsè ſcribit c. v. maximè ſi à flatuoſo ſpiritu & denſitate ipſius particulæ iſte dolor oritur; quia *& poros aperiunt & flatuoſum ſpiritum tenuant & quod Phlegmones jam conflatum eſt, digerunt*, c. VI. Βραχέως εἰπεῖν, dolorem tolli dicit remotâ doloris cauſâ; hinc Intemperiem frigidam aufert ſi dolorem inducat, & ſi ex animalis punctu morſuve dolor ſit inductus vel virus, evacuat per remedia quæ vehementer attrahunt cum calefactione & citra eam; vel quod dolorem excitat, alterat, ut ex eodem cap. VI. diſcimus.

Hic autem ſedulò notandum quod obiter quaſi c. IV. monet Galenus; dolorem non ſemper in parte inflammata eſſe ſolùm, ſed *in parte quoq; vicina*, imò in remota

etiam, ſicuti mihi perſuadeo, modò eoſdem ductus iſtæ partes obtineant. Sic bubonem in inguinibus augeri poſſe credo dolore exiſtente in cruribus; iſte enim dolor attrahit humores; locus autem intermedius ſunt inguina; antequam ergò ad crura perveniant iſti humores, ad inguina transferuntur, ibidemque ſubſiſtunt & Inflammationem augent.

Alterum ſymptoma eſt ἀγρυπνία, quæ, uti p. XIIX. dixi, hypnotica requirit; qualia ſunt nymphæa, lactuca, flor. roſ. viol. pap. rh. anethi, ſem. 4. fr. maj. lactuc. crocus, diaſpermat. Gal. ol. roſ. viol. nymph. pap. ungu. popul. & fortiora, ut hyoſcyamus, ſolanum ſomniferum, cicuta, mandragora, laudanum opiatum, quæ tamen non niſi cauto Medico inſerviunt, quia cum præſcribentis temeritate juncta occidunt.

Ad Gangrænam quod attinet, ſolet illa interdum Inflammationibus ſuccedere, dum ob nimium calorem, quem prohibita perſpiratio vel nimis calida digerentia inducunt, ipſe naturalis calor extinguitur. Tunc ergò & refrigerandum eſt & pori ſunt aperiendi, quod evacuatione ſanguinis præſtari poteſt; vel ipſa parte laborante multis ſectionibus ſcarificata, ex conſilio Galeni; vel incisâ venâ amplâ in loco affecto, ut Oribaſius & Paulus docent. Quô factô putredini reſiſtendum eſt per frigida & ſicca, ſicuti hoc tritiſſimè notum eſt.

Jam neceſſe eſt ut ad ordinem adhibendi indicata remedia perveniamus, utpote in quo ferè maximum curationis momentum poſitum eſt. Ab univerſalibus autem auſpicari decet, quia juxta regulam noſtram ſemper *præmittenda ſunt particularibus.* Hinc

1. *Secanda vena* pro revulſione & ſanguinis dimi-

nutione

nutione, quia prohibetur hac ratione major affluxus & morbi incrementum.

2. *Humores vitioſi ſunt evacuandi,* quod tali remedio commodè fieri poteſt : Rec. Rad. cichor. fragar. taraxac. ā ʒß Fol. acetoſ. cich. endiv. portulac. ā p. j. Fl. roſ. viol. ā piij Sem. 4. frig. maj. ā ℈j Fol. ſen. ſ. ſ. ʒvj Turpeth. ʒij Coq. in ſ. q. aq. ſimpl. poſt un. atq; alter. ebull. Rec. Col. ℥ix Add. Elect. Diacath. ʒi reſin. Scamm. gr. vi Syr. viol. ſol. ʒiij aq. cin. borr. roſ. ā ʒß F. l. a. hauſtus.

3. *Intemperies calida eſt auferenda, dolor leniendus, materia affluens repellenda, extravaſata quodammodo diſcutienda,* quod hocce remedio fieri poteſt: Rec. Rad. alth. malv. ā ℥ß Fol. lactuc. nymph. portulac. endiv. ā mj plantag. mij Fl. nymph. cham. melilot. ā mß Coq. in ſ. q. aq. ſimpl. & Colatura tepidè applicetur cum ſpongia.

4. *Sanguinis fervor eſt reſtinguendus;* hinc Rec. Amygd. d. excortic. ℥iß Sem. 4. fr. maj. ā ʒj pap. alb. ʒij Aq. roſ. viol. lact. nymph. portul. plantag. cichor. ā ℥iij F. l. a. Emulſio. Add. ocul. ♋ præp. ʒj Rot. man. Chr. perl. ℥ij & ʒv Fol. ☉ pur. d. ad fictil. & ſ. Kühl und Sterkmilch auff etliche mahl. Atque hæc in ἀρχῇ Inflammationum locum habent.

In Αὐξήσει Rec. Vin. rubr. ℥iiij aq. roſ. ℥ij acet. roſ. ℥j croc. ʒij ebulliant ſimul & f. epithema, quod linteolis duplicatis exceptum apponatur. Commendatur à Joële Tom. VI. p. LI. Ego tale præparo Cataplaſma: Rec. Rad. alth. ℥j Fol. lactuc. nymph. portul. ā mj Fl. roſ. viol. ā p. vj Coq. in aq. ſimpl. & minutim contuſis add. farin. hord. ℥j pulv. fol. malv. ℥ß Pingu. gall. ol. roſ. ā q. s. F. Cataplaſma. Quia enim in augmento minima ſanguinis pars eſt è vaſis effuſa, maxima autem in vaſis adhuc continetur,

 hinc

hinc medicamentum in augmento & digerens ſit & repellens, ita tamen ut repellendi vis præpolleat.

In ἀκμῇ tali utor: Rec. Pulv. fol. malv. ℥j melilot. ſem. fœnugr. farin. volat. ā ℥ß Coq. in ſ. q. aq. ad conſiſtentiam pultis, add. mucilag. rad. alth. lil. alb. ol. aneth. cham. ā q. s. F. Cataplaſma: hoc digerit, non tamen adeò fortiter: nam mucilagines nimiam exſiccationem & indurationem prohibent, reliqua verò digerunt. Eſt tamen aliqua hic varietas notanda: ſi enim principium ſit ἀκμῆς, æqualiter miſcenda ſunt repellentia & digerentia; ſin medium, præpollere debent digerentia; ſin finis, ſola digerentia, mediocria tamen, adhiberi debent.

In declinatione Cataplaſma digerens deſcribit Hier. Fabr. l. 1. de Tum. p. n. p. DCIV. Rec. Hyſſop. origan. ā mj decoct. in vino potenti & contus. adde ol. lil. alb. ℥iiij pulv. puleg. farin. fœnugr. ā ℥j F. Cataplaſma cum vino propoſito.

Si verò Suppurationi incumbendum, Rec. Fol. malv. branc. urſ. ā mj rad. alth. ℥iiij coct. in aq. & contuſ. add. farin. fœnugr. ℥iij, ol. commun. & butyr. ā q. ſ. ad Cataplaſma.

Atque hæc de Inflammationum cura impræſentiarum ſufficiant. Multa quidem reſtant, quæ tamen adeò anguſtæ includi chartæ nequiverunt. Ea verò & quæ huc ſpectant plura, latiùs, ſi Deus voluerit, perſequar, ubi ex intervallo ad hancce materiam, quod brevi tamen futurum ſpero, rediero. Interim DEO MEO gratias ago maximas, quod labores meos juvare benignè, & felici fortunare ſucceſſu voluit, eumque precor ſupplex, ut in poſterum quoque, conatus meos proſperet, & dirigat ita, ut in ſui divini nominis gloriam ægrotorumque ſalutem, cui ſedulò invigilaturus ſum, cedant.

FINIS.